




9250.

L



SÆCULUM
MARIANUM,
SODALIUM VIRTUTIBUS
CORONATUM,
Editum primùm in lucem Annô
Sæculari

A Congregatione Tridentina, nunc vero,
In Alma, ac Regio-Principali Soc. J.
Academia Claudiopolitana
POSITIONES
UNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ
publicè propugnaret
Nob. ac Erud. D. Stephanus Biro
AA. LL. & Philosophiæ Baccalaureus, nec non pro suprema ejusdem
laurea candidatus,

P R A E S I D E
R. P. NICOLAO JANOSI
è Soc. JESU AA. LL. & Philosophiæ
Doctore, ejusdēmque Professore
ordinario, & p.t. Seniore,
AUDITORIBUS ORLATUM.

Anno Salutis MDCC. XXXVIII.

Mense Die

CLAUDIOPOLI Typis Academicis Soc. JESU.

2854

ILLUSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO

GEORGIO
HALLER

L. B. de Hallerstein ,
DOMINO HÆREDITARIO
in Kaplyon &c, &c.
DOMINO , DOMINO ,

AC
PATRONO

GRATIOSISSIMO.

BIBLIOTECA
ASTRA
BIBLIU

1W.22

ILLUSTRISSIME DOMI-
NE BARO!

de libe:is letari
D medall

Nter opportunissima vel alen-
da nominatim Pietatis, vel
adjuvanda generatim rei
Christianæ subsidia, à Socie-
tate JESU comparata, optimo jure cen-
sentur piæ illæ Sodalitates, honori Bea-
tissimæ Virginis, & cultui addictæ, quæ
Romæ primùm è rudibus initiis ortæ,
mox per omnes latè terrarum oras fu-
se sunt incredibili Juventutis bono, Pa-
rente Dei optime maximæ non tantum
aspirante Sanctissimis incœptis, sed eti-
am alias, atque alias in dies Clientum
suorum colonias deducente. Etenim in-
dolem omnem, atque naturam ejusmodi

Sodalitatum propriis intuenti , Similes
illæ videantur speculis concavis , (Pa-
rabolicis , aut Ellipticis) quorum ope
collecti , & coëuntes unum in centrum
& veluti focum radii contrahunt uren-
di vim admirabilem , quam oculis ipsi
nostris usurpavimus , quāmque sepa-
rati , disjunctique , aut nullam , aut per-
exiguam habent . Quamvis autem in-
gentes earum etiam utilitates exstite-
rint , quæ de natu grandioribus , dé-
que miscellanea Fidelium multitudine
subinde coaluerunt , Sanctissimis & ipsæ
legibus institutæ ; majus tamen ab his
accepit incrementum publica Pietas ,
& universè plus comodatū est Orbi Chri-
stiano , quas tenerior , & devota Virginini-
bus Muisis atas conflavit . Hæ namque
non præsenti tantum sunt adjumento ad
faciandam cum literis virtutem ; non
effervescentem tantum in officio conti-
nent juventutem ; sed ad omnem vitam
insita teneris annis Pietatis semina pro-
pagant , lætissimō Virtutum omnium pro-
uentu ; sed vel effætæ senectuti consul-
tum

tum eunt jactâ in integrerrimis animis
cælesti semente , cuius illa dulcissimos
olim sit carptura fructus. Etenim te-
nacissimi sumus eorum, quæ rudibus
annis percepimus ; ut inquit ille :
quemadmodum cera figuræ , vel ima-
ginis , quam mollis etiamnum accepit.
Nec adultior ætas gustum Virtutis , &
odorem , quo fuit olim imbuta , faci-
lè deperdit.

Sed non solis Marianorum Adoles-
centum , licet ingentibus in Virtute
progressionibus definitur piissimi fru-
ctus instituti , permanat ad ipsos eo-
rundem Parentes , ad totam latè vi-
ciniam . Integras implet domos , imò
Civitates , optimorum odor exemplo-
rum , quæ plus in animos intuentium
posse , quām calamistros omnes , quām
omnia pigmenta limatissima dictionis ,
multā docemur experientiā . Quam-
vis autem ingentium è Marianis Cœ-
tibus comodorū compluria etiam domi-
suppetant documenta , ut proinde eorum
gratiā procul abeundū fuisse non videa-

dur; hoc tamen, quod Illustrissimo Tuo
nomini inscriptum, Tibi, Magnifice
Domine Baro, præsento, petitum in-
de usque Tridentô, qua in urbe au-
gustus ille terrarum orbis Senatus in
Concilio Generali consedit, aequi, spe-
ro, bonique consules, & charum ha-
bebis forte vel ideo, quia peregrinum.

Quanquam aliis etiam nominibus gra-
tiosum apud Te futurum confido. Quid
enim Tibi gloriosius? quam in incly-
to Tuo nomine apparere tot clarissima
Virtutum Marianarum decora, tot
integerrimæ vitæ Sodales, tot etiam
Illustrissimi generis Mariæ Clientes.
Quid gloriosius? quam amplificando
cultui Mariano, suscitande veteri in
Magnam Dominam Hungaræ Pie-
tati, accendendis in Eam non Juven-
tutis tantum Patriæ, sed et atum o-
mnium, atque Ordinum studiis, es
à Te liberaliter impensum, &, si ita
loqui fas est, commodatum aliquid de
Tuis opibus Augustæ Cœlorum Regi-
nae. Quid gloriosius? quam præclarè me-
ritum

ritum esse eādem operā de liberalibus
Disciplinis , de non uno Parthenone
Mariano , præsertim autem Claudi-
opolitano hoc nostro , cui jam olim in-
sertum Illusterrimum Nomen Tuum
(etiam ob adjumentum hoc ad Virtutes
omnes Sodalium proprias à Te compa-
ratum eidem) perennare decet aureis
notatum characteribus ad futuri tem-
poris memoriam , & commendationem ,
ad totius exemplum posteritatis . Quid
denique gloriosius ? quam percrebre-
scere : hæredem Te , cum Illusterrissi-
mis Tuis Fratribus , Francisco , & Pau-
lo (quos honoris causâ nomino) non
tantum ceterarum Clarissimi Parentis
Vestri virtutum , sed etiam observan-
tiæ summæ , qua divinam Ille Paren-
tem in loco Patronæ cliens officiosissi-
mus in omni vita coluit ; quam in mo-
res abire laudatissimorum Majorum
Tuorum , Virgine Deiparâ depreca-
trice salutis , ac fortunarum suarum
apud Altissimum uti solitorum ? quam
universæ Gentis inclytæ Hallerorum

quoddam velut institutum sequi, quæ
nemini facile concesserit honore, cul-
tusque Matris illius admirabilis, quam
beatam dicent omnes generationes.

Luc. I. 18. Cui fecit ipse magna,
qui Potens est: Cui sanior pars orbis
Christiani hodie dum assurgit, exem-
plò illius, qui factus in similitudinem
hominum, & habitu inventus, ut ho-
mo, quique Deus super omnia be-
neditus in sæcula (*Rom. 9. 5.*) erat
subditus *Matri cœlestissimæ*, neque mo-
dò plus, opinor, succenseat ejus Cul-
toribus, cohæredibus suis, quam Re-
gum olim sapientissimus Aula regiæ
Ministris, à quibus positus est thron-
us matris Regis, quæ sedet ad de-
xteram ejus. *3. Reg. 2. 19.*

At enim divinis (inquit os hetero-
odoxum) Mariam honoribus maca-
tis, nullo Sanctorum exemplò, mu-
gnâ Dei ipsius, magnâ Filii injuriâ,
per quam habemus accessum ad Pa-
triem. Apage hanc insanitatem: cram-
bem centies recollectam, centiesque Theo-
lo.

logorum nostrorum coactus voratam ab
ipsis illis inficetissimæ criminatio[n]is
commentoribus. Illo cultu qui Græ-
cè latrīa dicitur, Latinè verò uno
verbō dici non potest, cùm sit di-
nitati debita servitus, nec colimus,
nec colendum dicimus (cum S. Aug.
l. 20. contra Faust. c. 21.) nisi fo-
lum Deum. Igitur, ne Mariam qui-
dem. Non ergo divinis Mariam ho-
noribus mactamus, ut invidiosissimè
criminatur imperitum vulgus vel in-
scitia summa rerum nostrarum, vel
extrema malitia. Quid igitur? Co-
limus (ut ibid. Aug.) colimus, in-
quam, Martyres, & reliquos Divos ca-
lites eo cultu dilectionis, & societa-
tis, quo & in hac vita coluntur San-
cti homines Dei, sed illos tanto de-
votius, quanto etiam fidentiori lau-
de prædicamus, jam in vita felici-
ri victores, quam in ista adhuc pu-
gnantes. Martyrum autem, imò San-
ctorum omnium Reginæ, quo titulo
Mariam Ecclesia Christi cohonestat,,

primas utique pars est secundum Deum cultus nostri partes deferri. Quoniam honor non Regis tantum, sed etiam Reginæ judicium diligit.

At hic ipse cultus qualiscunque demum injurius Deo, Deique Filio est. quid ita? quia cœlesti sanctum est edictum: Dominum Deum Tuum adorabis, eique soli servies. Deut. 6. 13. Et Mihi curvabitur omne genu. Isaiae 45. 24. Itane verò? genus illud obseruantia, quo Principibus Viris populi interdum curvamus, interdum etiam de genibus eosdem veneramur; servitus illa, quam Domino, nihilominus, quam sumus ipsi, mortali servimus, non incurrat in cœlesti decreto, quippe divinâ multis (ut ita dicam) parasangis minor? cultus autem ille (quo decus illud Cœli prosequimur) Mariam, licet & ipse multis partibus inferior divinô, injurius sit Deo, Deique Filio? laudabile sit fatum & nec imminuat Mediatoris JESU

SU dignitatem honor, quem viventibus etiamnum Amicis Dei facimus; dum piis eorum deprecationibus nos cum Doctore Gentium commendamus? honor autem, quo calis receptam Virginem gratia plenam, & totum illum Beatorum afficiamus Chorum, dum vel Illam precum nostrarum interpretem, vel hos ad Deum suffragatores adhibemus, honor, inquam, ille Tibi, Tibi, inquam, Deus immortalis! fraudis, & injuria? officiat luminibus aeterni Filii? partam sanguine prærogativam Mediatoris obscuret? Unde, licet in exilio suffragationibus opitulari nobis & illi possent, & nos id ab eis postulare sine crimine possemus; postquam tamen beatâ illâ, bonisque omnibus affluente patriâ recepti jam sunt; & illis est adempta vetus illa de genere humano bene merendi facultas, & nobis id ab eis petere, grande sit nefas, & morte piandum sempernâ, abominabilis idololatria! Hoccine credibile videatur ulli sanæ

menti? in hancne sententiam abire pos-
sim ingenium non omni pistillô magis
obtusum ? quasi verò non etiam Tuus
ille Gentilis Apostolus, reddenda omni-
bus debita: cui tributū tributum , cui
honorē honorē imperavisset : quasi non
in Te , tuumque Filium tota illa vene-
ratio rediret , quam à nobis habent
excellentissima illa manuum Tuarum
opera : quasi Vir ille secundūm cor
Tuum , nunquam id inflatu cœlesti ce-
ciniisset : Laudate Dominum in San-
ctis ejus. Psal. 150. quasi non etiam
Tua Regis Regum Majestas major è
splendoribus Sanctorum effloresceret ,
quemadmodùm orbis nostri Monar-
charum tanto nomen est augustius ,
quanto majori florent autoritate , ac
veneratione , aularum Ministri: quasi
tum etiam proprium Tibi , Filioque
Tuo , id est ; divinum præstaremus ho-
norem ; cùm his , aut similibus verbis
preces ad Te nostras conciperemus :
Sancte Deus ! Sancte Christe ! ora pro-
nobis . hujusmodi enim est honor , quos
Deim

Deiparæ , quo Cælitum favorem ne-
bis blandimur , quem nonnulli pro
divino traducere , eoque nomine stul-
tissimæ nos idololatriæ reos agere non e-
rubescent ! quasi denique , dum Ancil-
lam Domini (sed eandem Angelorum
Dominam) cæterosque domesticos Tu-
os in honore habemus propter Te ; non
in Te Dominum universorum , quid-
quid id est honoris , redundaret ; non
Tu magis es censendus honorari . Sed
nimirum , quod etiam Elementariis ob-
scrum non est in Philosophia ; (a)
id vertices isti humanae , atque adeò
divinae (si Superis placet) sapientiae ,
qui præse mille Augustinos , mille
Cyprianos , Ecclesias mille nihil fa-
ciunt (humiles myrica altas Dei ce-
dros) tota acie ingeniorum non asse-
quntur ! Quid ? quod interdum non
nisi per ejusmodi chara Capita placan-
dum se , propitiandumque supremum

† 7

Nu-

(a) Propter quod unumquodque
tale , & ipsum magis .

Numen declaraverit? Ite (mandat Amicis Jobi 42. 8.) Ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis. Faciem ejus suscipiam; ut non imputetur vobis iniuria,

At at exemplis Sanctorum hac in re destituimur! unius dantaxat meminero, sed ad quod omnis iniquitas oppilabit os suum. D. Augustinus, quem nonnemo recentiorum Heresiarcharum ut optimum ex tota Antiquitate, & fidelissimum testem saepe citat, in libro Meditationum c. 40. Sancta, inquit, & immaculata Virgo, Deigenitrix Maria, Mater Domini nostri JESU Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cuius meruisti effici templum. En quo exemplo ducti Catholici Virginem illam Benedictam in mulieribus, absit, ut divino, praeclaro tamen in honore habemus. Ut missa faciam infinita alia, que si recensere velim; finem epistola non inveniat. Sed hæc hactenus.

Quod

Quod ad Te attinet, Illustrissime
Domine Baro Mecōnas, etiam cum
nonnulla Tua conjunctum utilitate di-
xerim præsens opusculum. Emolumen-
tum enim Tuum est, gloria plenum,
ingens morum in melius commutatio,
quam ex hujus letitiatione speramus
in quā pluribus: accesso futura non
mediocris ad privatam aequē, ac publicę
eam pietatem Sodalium Marianorum,
emolumentum Tuum est: ignis illius
divini, quem in meditatione rerum
caelestium ex ardescētēm devota tecum
Christo pectora concipiunt, perpetuum
quoddam pabulum in hoc libello compa-
ratum, emolumentum tuum est; ut
generosi vim exempli taceam, quod
posteritati prodidisti, difficillimis eti-
am temporibus non parcendi tantillis
sumptibus; ubi Magnæ Matris honor,
ubi res agitur divinæ gloria. Memo-
riamque meretur magnanimum di-
ctum, quo mea supplicantis verecun-
dia consuluisti: actum (scilicet ajens)
fore Tecum; si res aliquando Tu-

eo loci jam sunt ; ut his indigeas.

Denique decens est , & à me Tibi munus offerri literarium ejusmodi , quo Christianæ Philosophiæ præcepta pulcherrimis exemplis illustrata contineantur . Ceterum : votorum meorum summa est : ut & presens sæculum quam felicissime Tibi valvatur , & evolvatur : & futurum obtingat quam optatissimum .

Illustrissimæ Dominatio-
nis Vestræ

Humillimus Client
Stephanus Biro



AUGUSTISSIMA MATER!



Uod Sancta Lidwi-
na triginta octo an-
norum spatiō ægra
decumbens præstitit , ut nimi-
rum sibi patientiæ coronam elab-
o-

boraret , ab Angelo sibi ante obitum ostensam , id & egisse videtur Congregatio nostra . Seculum suum primum exegit in concinnanda gloriæ corona Tibi , ô Virgo , quæ es Corona Sanctorum omnium . Et quidnî id faceret ? Cùm Numen ipsum jam inde à seculis æternis cogitârit , quâ ratione Matri suæ præpararet quâm fulgentissimum gloriæ diadema , juxta illud Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in Cœlo , mulier amicta Sole , & Luna sub pedibus ejus , & in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Tu , ô Virgo ! signum illud magnum , quod Isaías in ortu : Virgo concipiet : Joannes in occasu : Stabat Mater iuxta Crucem : Isaías in terris ; Joannes in Cœlis vidit

dit. Signum verè in bonum, quod utilitatem communem, & salutem attulit. Salutare sidus, quod caliganti mundo lucem reddidit, quod faces iræ Divinæ restinxit, fulgurantes vindictæ gladios in vagina recondidit, tempestates serenavit.

Tu Mulier illa amicta sole ! Sed cur sole appares vestita ? Ut nimirum tua in omnibus admirabilis præcellentia indicetur. Ea enim est tua pulchritudo, is splendor, ea gloria, ut non solùm omnem venustatem, ac rerum sublunarium, florum, gemmarum, lapidum pretiosum, Solis, & Lunæ, ac stellarum omnium, sed & Angelorum pulchritudinem infinitò quodammodo exsuperet intervallō, adeò,

ut , si nullum in Cœlo aliud objectum foret beatitudinis , quām hæc perfectissima Divinitatis imago , omnes Sancti Martyres , Confessores , Virgines , optimè suos sudores , labores , sanguinem , collocatos ducerent , quò hoc tam amabili , & admirabili spectaculo frui contingeret : Tu es enim pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum , pulchrorum omnium summum ornamentum , ut magnus tuus servus Petrus Damianus attestatur.

Certè ipse DEI Filius , tuæ gloriæ , ô MARIA ! irradiante fulgore , Divinos oculos quodammodo perstrictos lucis immensitate fatetur , si Divo Ambrosio credimus , qui in illa Sponsi verba

ba Cantic. 6. Averte oculos tuos à me ; quia ipsi me avolare fecerunt, ità disserit : averte , ait Sponsus, oculos à me , eò quòd pulchritudinem dignitatis , & splendorem veri luminis sustinere non possim : quô nihil ad Marianam tuam gloriam exaggerandam illustrius dici aut singi potest. Ipse enim Filius cùm in Matre sua , velut in lucidissimo speculo , refulgeret, stupendum miraculum , & sibi , & hominibus spectaculum divinissimum, ac dignissimum exhibuit.

Quod , qua ratione factum sit , devotissimus tuus cliens Bernardus exponit , dicens : *Mulier amicta sole*, planè , amicta lumine, tamquam vestimento ! MARIA quidem Filium vellere nostræ morta-

litteris induit; at Filius Matrem stolâ gloriæ: vestis cum, ô MARIA, substantiâ carnis, & vestit ille te gloriâ suæ majestatis: vestis sole nube, & sole ipsa vestiris. Hinc tota pulchra es.

Verum hoc *signum magnum* non tantum tuam pulchritudinem, sed & gratiarum plenitudinem indicat, quod, ubi apparuit, omnes Cœli Incolæ, quos Hussæus Vates *astra* matutina appellat, non modò in amorem, & admirationem rapti sunt, sed ad mulierem hanc *Sole amictam*, quasi extinti sunt. Quando Archangelus Gabriel, auspicatissimus Divinæ Maternitatis de Cœlis in Nazareth advolavit Nuntius, Te, ô Virgo, salutavit iis verbis: *Ave gratia plena.* Quod si

si vix in lucem edita, Virgo, tam
amplo gratiarum profluvio inun-
data fuisti, quantum supereffluens
plenitudo accesserit ex Incarnatio-
ne Verbi ! Si regiae cuidam aulæ,
cujus parietes omnes fulgurarent
auro, gemmis, margaritis, quæ ex
se se tam copiosam spargerent lu-
cem, ut noctem in diem trans-for-
marent, sol è Cœlo se demittens,
se se insuper includeret tanto auro
fulguranti, scintillanti tot gemmis,
quantum lucis incrementum non
accederet priori illi claritati !

Hæc est tenuis adumbratio co-
piosæ illius lucis , quæ replevit
cor tuum, ô Virgo ! ea die, quan-
do Verbum naturæ humanæ se se
desponsavit. Comparueras prius
jam , ô MARIA , instar aulæ au-
reæ,

reæ , tot gemmis micans , quot numerabantur in Te præcellentes virtutes , quot pretiosa dona à Divina munificentia in te profecta , ut dignum Divinitatis habitaculum præparaveris. Quantum splendoris postmodum , necessè est , accesserit animæ tuæ , quando Sol ipse Divinitatis Cœlo delapsus , se inclusit in aula sacratissimi uteri tui ! Quòd si Sol , cùm creatura limitata sit , & finita , supra terram tanta , tamque prodigiosa celeritate currens , eam tamen ità fertilem reddit , foris quidem tot fructibus ornatam , intus verò tot pretiosis metallis gravidam ; quædam , & quanta in purissimo tuo utero Sol ille infinitæ virtutis fuerit operatus , non celeriter currens ,

rens, sed in eo manens iuxta il-
lud Lucæ I. *Dominus tecum.*

Et Luna sub pedibus ejus. Tu
quoquè, ô Beata Virgo ! Luna
es beneficentissima ! Luna post
Solem omnia astra pulchritudine,
& splendore superat. Tu, ô MA-
RIA ! sicut in terris meritis, &
virtutibus eminentissimè præcellui-
sti omnes alios Sanctos, ità & in
Cœlo præcellis gloriâ, & hono-
re. Hinc Sanctorum capitibus
media Luna pro diademate impo-
ni solet à pictoribus, Tibi verò,
ô Domina ! infra pedes subjicitur:
quô ostenditur, coronas, & me-
rita, quæ in Sanctis summa sunt,
in Te esse infima, & ibi ordiri
tua merita, ac virtutes, ubi il-
lorum desinunt. Cæteris enim,

teste Sancto Hieronymo, per partes præstatur: MARIAE vero simul se tota infudit plenitudo gratiae.

Et in capite ejus corona stellarum duodecim. Dignum planè caput, quod, & ipsis stellis clariùs micans, ornet eas potius, quam ornetur ab iis! Quidnî coronent fidera, quam sol vestit? Scio equidem, stellifero hoc diademate designari cæteras tuas, ô Magna Mater! prærogativas, & præcellentias: sed non minùs à tuorum Clientum, & potissimum Sodalium illustribus virtutibus coronaris eō maximè ex capite; quia tuis meritis, & precibus hunc splendorem adepti sunt, de quibus dicere potes. Vos gaudium meum, & corona

rōna mea, ad Philipp. 4. Hi e-
nim non gravatē comparari pos-
sunt duodecim stellis, queis co-
ronata in Cœlis, apparuisti Joan-
ni in terris.

Quare æqui, bonique consules,
ô Augustissima Cœli, terrarūm-
que Domina, tenuem hunc co-
natum nostrum, quo in hoc opu-
sculo omnium oculis subjicere, ac
palam facere nitimur, quam stel-
liferam, Tuisque honoribus con-
secratam Coronam Congregatio
nostra illustrioribus Sodalium suo-
rum virtutibus, Tuo potissimum
favore partis, elapsō seculō con-
cinnātit, ut appareat existisse se-
culum nostrum in illuminatione
vultus Tui, Psal. 89.

Quod - quidem eò potissimum
spectat, ut, dum splendidum hunc
tuum amictum, & diadema libet
his in chartis contemplari, & ad-
mirari, etiam posteros non pi-
geat imitari, ut & hi mores Tuos
Virgineos in se se exprimendo,
splendidos oculos, splendidum os,
splendidas manus, & pedes refe-
rendo, ex omni parte amicti lu-
mine sicut vestimento, novum se-
culum Marianum ad Tui honorem
hic inchoent, & in Aula gloriae
tecum splendescere valeant.

Ità precatur, ità vovet.

Eternum Tibi devota

Congregatio Major
Tridentina.



P R A E F A T I O
^{A D}
 PARTHENIUM
 LECTOREM.

Quantam vim, quan-
 tumque pondus habeant
 exempla, præsertim do-
 mestica, ad incitandos mortalium
 animos, ad paria virtutis conse-
 stan-

stända studia , nemo est , qui ignorat . Docuit id sat luculenter tota retro antiquitas , quando Miltiades non oratione Themistoclem , sed trophæis ; non adhortatione Achilles Alexandrum , sed famâ posthumâ ; non dictione Alexander Cæsarem , sed exemplô ad maxima rerum gerendarum decora , fortunamque virtute laceſſendam provocârunt . Habent enim heroica facta , post mortem quoquè auctorum , vim , vocemque suam , omni oratione , quæ plerumque plus inanis soni , quam rei continet , potentiorem .

Quare consultissimum fore nobis visum est , si exactâ jam primâ hoc Marianâ seculâ , & multæ charitati fovendæ , & incita-

men-

mento ad pias æmulationes bonorum
operum comparando , ac demum
alacritati in via virtutum Chri-
stianarum promovendæ , selecta ex
annuis Sodalitatis præclare gesto-
rum exempla colligerentur , quæ
memoriae præteritorum , & præ-
sentium eruditioni consecrarentur.
Ne verò hæreamus in operis vesti-
bulo , aut decursu , quædam hic præ-
notanda sunt.

Annô 1626. 3. Augusti accepit
Congregatio nostra ad supplicem su-
um libellum ab Admodum Reve-
rendo Patre Mutio Vitellesco So-
cietatis JESU Generali responsum,
& diploma Pontificium cum literis
Aggregationis , ac omnibus Privi-
legiis , & Indulgentiis eidem con-
cessis. Annô verò 1627. Calend.

Ju-

Junii, solenni Dramate præmisso,
publicata fuit hac nostra Congre-
gatio, lectis Aggregationis literis
in præsentia Celsissimi, & Revea-
rendissimi Principis, & Episcopi
Caroli Emmanuelis Madruzii, Il-
lustrissimorum, ac Reverendissi-
morum Canonicorum, Dominorum
Comitum, Baronum, totiusque No-
bilitatis. Eodem anno acceptæ fu-
erunt literæ à Congregatione pri-
maria Romana, quibus omnia sua
nobiscum privilegia communicat,
nosque in Fratres adsciscit. Eo-
dem anno 21. Martii, certâ for-
mulâ à Præfecto recitatâ, sibi in
Patronum, ac Protectorem singu-
larem adscivit Sanctum Josephum
Virginis Sponsum, & literas Con-
federationis accepit & quadragin-
ta,

(o)

ta, & una Congregationibus Pro-
vinciæ Germaniæ Superioris.

Notandum 2dò. Prima Congre-
gationis fundamenta iacta esse à
quatuordecim Adolescentibus, quo-
rum virtus rara, ac pietas, cùm
magnopere in Actis nostris prædice-
tur, lubet etiam ad perpetuam rei
memoriam eorum nomina hic refer-
re, & sunt :

Petrus Calvus.

Floravantius Festus.

Franciscus Duron.

Christophorus Rizzius.

Joannes Thamè.

Alexander Gislimbertus.

Fridericus Allstetter.

Hie-

Hieronymus Festus.

Julius Tavonatus.

Fridericus Thalbamer.

Franciscus Hieremias.

Carolus Hieremias.

Franciscus Gbleff.

Jacobus Ceschi.

Ex his tam tenuibus fundamen-
tis in tantam postmodum molem af-
surrexit Virginis Annuntiatæ So-
dalitium Tridentinum, ut soli Sa-
cerdotes Sodales uno eodemque tem-
pore ad trecentos ascenderint.

3tio. Nihil in hoc libro colle-
ctum reperiri, quod non ipsa pro-
pè verbis Actorum Marianorum
bujus Sodalitatis doceant, quæ
con-

conscripta fuere maxima ex parte ab ipsis met Dominis Secretariis Congregationis, & in fine cuiusvis anni à Magistratu Mariano recognita, & approbata; quamvis etiam complura fuerint, quæ ab iisdem non fuerint in Ephemerides relata, nec ex his omnia amplius existent, temporum injuriis nobis subtracta. Adjecimus tamen aliqua ex privatis documentis ad nos aliunde transmissis bausta.

4to. Ne singula aut repetita fatigarent, multa generatim, & uno, aut altero documento tantum fuisse expressa, nec ubique singillatim omnium nomina apponi, cum etiam in Commentariis nostris fuerint omissa.

5t^o. Complures exstitisse in Congregatione nostra alios præcellentes viros, quorum particularis in decursu libri hujus nulla fit mentio, quos inter fuit Reverendus Pater Martinus Martinius Tridentinus, Societatis JESU Missionarius Apostolicus in Imperio Chinensi, ac olim in Congregatione nostra Sodalis ferventissimus, ac munificus ejusdem Benefactor. Hujus viri Mariani virtutes cùm jam typis vulgatæ sint, supervacaneum duoximus, hic plura adferre. Commemorasse sufficiat, eum apud nos perfecti Sodalis partes explevisse omnes, & rarum exstitisse Sodalitii nostri decus.

Inter hos præstantes viros jure etiam numeramus Reverendum Patrem

trem Antonium Ceschi à Santa
 Cruce Societatis JESU , pariter
 Missionarium Apostolicum ad re-
 motissimas gentes , cuius viri sanè
 magni ardenter animarum zelum ,
 conversiones gentium , præclará-
 que ab eodem gesta facinora , cùm
 alii jam libri in lucem vulgārint ,
 nos silentio præterimus . Solūm hic
 obsecro , Franciscum Paternoli ,
 qui ante triginta circiter annos
 Patris Antonii vitæ synopsim con-
 scriptis , ac transmissas ab eodem
 in Europam epistolas in unum li-
 brum collegit typis Tridenti editum ,
 testari fol . 21 . magnum hunc Mis-
 sionarium in nostra Congregatione
 Tridentina , cuius Sodalis fuit ,
 consuetis Marianæ pietatis exer-
 citiis Apostolicæ suæ vitæ prælu-
 sissem .

His

His etiam accenseri meretur
 Andreas Pozzi Tridentinus, So-
 cietatis JESU Coadjutor tempo-
 ralis, vir totâ Europâ cum primis
 celebris tum ob ingeniosos suos To-
 mos, quibus Opticam illustravit,
 tum ob penicilli sui miracula, qui-
 bus Romam, Viennam &c. itâ
 condecoravit, ut sui temporis al-
 ter velut Apelles haberetur. Hic,
 ut cæteris Religiosum virum or-
 nantibus virtutibus eminuit, sic
 etiam Mariana pietate. Argu-
 mento sit, quod Româ Tridentum
 dono submiserit Congregationi Mi-
 nori ad excornandam novi sui Odei
 Aram imaginem, Beatam Virginem
 sine labe Conceptam exhibentem
 penicillô tam artificiosô, ut intu-
 enti-

entium oculos in stuporem rapiat.
 Et id obsequii nobis præsttit, ut
 hoc dono contestaretur, se & So-
 dalem Tridentinum olim fuisse, &
 acceptis à Congregatione beneficiis
 vicem rependere.

Hos alibi suis laudibus jam ex-
 ornatos, in præsenti libro præter-
 imus, sicut & aliqua alia Sodali-
 um præclara facinora, quæ, ter-
 tiò opusculè quodammodo ad finem
 jam perductò, complexi fuimus;
 sed id & temporum angustiis inter-
 cepti, & necessariis documentis,
 licet rogaverimus, nondum obten-
 tis, & allatis, in præsentiarum in-
 lucem edere non valuimus. Fa-
 teor etiam, ingemino hoc jam vul-
 gato multa hinc inde invenies, in
 qui-

quibus elaborandis tu accuratio-
rem limam, ego plus temporis exi-
gerem. Hinc coram benevolo Le-
tore, & aequo Judice, excusa-
tionis loco, quod obtendam, non
babeo, quam illud Poëta:
emendaturus, si licuisset,
eram.



C A P U T I.

Primum Partheniæ Coronæ
Sodus, Marianæ gloriæ zelus,
& amor.



Ximiū illud Ecclesiæ
Lumen, D. Hieronymus, super illum Psalmum Davidis, quo o-
mnes creaturas ad lau-
des DEO concinendas invitat: *laudate eum Sol, & Luna: laudate eum omnes Stellæ, & lumen;* ingeniosè
quærerit, qua ratione DEUM laudent
Sol, Luna, & Sidera, cùm lingua ca-
reant? Et nodum solvit, dum ait: *in eo, quod à suo officio, & servitio non*
recedant, servitium ipsorum laus DEI
est. Nimirum; quia splendore suo

terras illuminant, calore fæcundant,
enarrant gloriam DEI, & opera ejus
annuntiat firmamentum. Cœlum
quoddam est & Sodalitium Maria-
num, in quo mirabiliter effulget illa
pulchra, ut Luna, electa, ut Sol,
à qua suam lucem mutuant minora
illa Sidera, Sodales. In quo laudant
& ista Deiparam? In eo, quod à
suo officio, & servitio nunquam re-
cedant, servitium ipsorum laus Dei-
paræ est. In quo quidem laudis ge-
nere quantoper excelluerint elapsō
seculō Tridentini Sodales, quàm il-
lustrem concinnârint gloriæ coronam
mulieri illi, quæ sole vestita apparuit,
jam enarrare aggredimur.

Solent Sidera nunquam clariūs
emicare, quàm de nocte; nunquam
amæniūs effulgere, quàm inter tene-
bras. Etiam Urbi Tridentinæ horri-
fica nox superincumbere visa est,
quando anno 1630. atrox exorta pe-
stis funebribus omnia involvit tene-
bris,

bris, cuius beneficium usus immanis
ille humani generis prædo mors, in
funestam noctem tot mortalium clau-
sit lumina. Ne malum latius serpe-
ret, infecta jam lue corpora, & ad-
huc spirantia, ut animam exhala-
rent, exportabantur extra Urbem in
campum Præposituræ dictum, mœ-
nibus adjacentem. Tristis ibi rerum
facies, miserorum ejulatus, spiranti-
um gemitus, & plurima mortis ima-
go. Sed quid hinc Sodales Tridenti-
ni? Quam mirabiliter has inter te-
nebras non effusit Marianus zelus!
Initio consilio, Oratorii sui statuam
Marianam elegantissime exornant,
ferculo imponunt, supplicabundo a-
gmine, collucentibus cereis extra
urbem deportant, in medio feralis
campi collocant, nō sibi mortem ve-
rendam rati, dum vitæ Matrem fer-
rent.

Ad hoc spectaculum, ubi miseri il-
li suos sustulere oculos in morte na-

tantes ; ubi Virginis Statuam videre
urbis portis egredi , an non exclamare poterant ? Qui sunt viri isti misericordiae ? Quæ est ista , quæ progreditur , quasi aurora ? Sic est : ô quam benefica tunc exorta est aurora sedentibus in tenebris , & umbrâ mortis ! Quid gratius accidere queat in æternitatis limine constitutis , quam coram intueri Januam Cœli ? Ferunt , Hippocratem , visa muliere ignem ferente , dixisse : *Ecce ignis gestans ignem.* Conspectâ Deiparæ hâc JESUM sinu gestantis imagine , an non facile idem occurreret lue infectis : ecce ignis gestans ignem ! Et quodnam præsentius contra pestem remedium igne ? Quō solō olim longè immanissima Græciæ pestis extincta fertur . Est & MARIA ignis purificans , est & Christus ignis consumens ; sed quid ? non tam luem corporum , quam pestem animorum , peccatum . Et ne tantum in Imagine præsens existeret hic ignis , curatum

tum etiam, ut quavis die coram Virginis Statua, dictō Sacrō, vivus hic ignis in ara accenderetur, & holia propitiationis immolareetur. Ex qua quidem Siderum combinatione, an non afflīcti illi fausta sibi ominarentur omnia? Sol *Justitiae*, inquiebat Sanctus Antonius, *DEUS noster in veteri testamento erat*, ut leo terribilis, rugiens, peccatores terribiliter puniens; sed in uterum Virginis intrans, fatus est totus benignus, suavis, & humanus, *Filius benignissima Matris misericordiae*. Hinc illud Symbolum: Sol in Virgine: Lemma. Temperat iras.

Verūm ab illustri hoc Marianī zeli officio, pestiferis præstito, ad aliud transeamus. Non tantūm in nocte lucent Sidera, sed etiam de die subinvidentur: ast quando? Cūm sol totalem Eclipsin patitur, vel in meridiē apparent in Cœlo Sidera. Est Christus Sol *Justitiae*. Sed quando

majorem hic eclipsin patitur? quando magis mortalium eripitur oculis, quam tempore Bacchanaliorum? Ubi dies in noctem vertitur, ut unus regnet Princeps tenebrarum. Verum, quam mirabiliter & in hac nocte meridiana Tridentina nostra pulsere Sidra. Dum anno 1634. ultimo illo antecinali triduo madidi illi combibonum, larvatique greges oberrarent, & nescio quibus furiis, intemperiisque agitati, vorsum prorsum vociferantes ruerent, ecce eodem tempore facta pulchra conspiratione ex Oratorio Mariano, praeeunte Crucifixi labato, egreditur supplicabundum Sodalium agmen ad vires vesaniæ, temulentiaeque profligandas, non aliis instrutum globis, quam Marianæ Corolæ globulis precatoriis. Quidquid vesaniæ moliebatur auctorata mundo militia, confestim Sodales nostri contraria ex adverso castra erexere. Unde, cum inconditæ passim Bacchanantium

tium voces resonarent, *velut orcum evocaturæ*, hi suspiriis, & compunctionibus Cœlum implevère. Cum orgia temulentorum streperent, quaqua versum ritu Mænadum insanientium, illi suis sumptibus vocem, & instrumenta musica ad concinendas DEI laudes habuere occupata.

Sed quorsum fertur hoc pius agmen, quem sibi præscripsit viæ terminum? abiit per montana, Urbis portis egressum; ascendit montem Lastensem; ubi coram Virginis Thaumaturgæ Imagine collucentibus se sistit cereis, musicoque concentu Augustissimam Virginem ad Cœli senestras, & cancellos totidem ferè vocibus videtur evocare: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati venerunt tibi. Circumdabis tibi eos, quasi Sponsa.* Isa. 49. En, ô Virgo! hi Congregati venerunt tibi! sed quando? Eo tempore, quô reliqui te deserunt; Quô alii profanis

fanis indulgent amoribus, hi Maria-nis : quô tot frequentant Venerem, isti Virginem. Ubi alii suam novis maculis coinquinant conscientiam, isti sacra Exomologesi suam expiant : Ubi alii inhiant siliquis porcorum, isti anhelant ad epulas Angelorum ; nam en ! Jam mensæ instruuntur Eucha-risticæ ; omnes pridie confessi sub oculis tuis sacrô reficiuntur epulô, admirantibus mortalibus, applauden-tibus Superis. Si hæc erant horum Sodalium Bacchanalia, quid fuerint Esurialia ?

Sed hæc erat hujus anni privata Sodalium devotio ; longè solennior, & totô sæculô agitata est à Sodalitio nostro publicæ supplicationis solenni-tas. Est in hac vicinia oppidum, Ci-vizanum dictum, monti impositum, tribus circiter ab urbe leucis dissitum, ubi in pereleganti Basilica, ex mero marmore à fundamentis extructâ, vi-statur Thaumaturgum B. Virginis Si-mula-

mulacrum, miraculorum, & longè,
latéque eò peregrinantum frequentiâ
in paucis inclytum. Eò jam à pri-
mis erectæ Congregationis incunabu-
lis in more positum erat, singulis an-
nis Virginis colendæ studiô supplica-
bundum agmen educere, & à Soda-
lium frequentia, & à ferculorum, la-
borúmque apparatu magnopere spe-
ctandum. Mira sunt, quæ de hac
solennitate primô præsertim semise-
culò Acta Congregationis memorant.
Quando summo manè ad iter facien-
dum signô datô, vel nutu Sodales
convocabantur, advolabant prom-
ptissimi omnes suis perelegantibus Sci-
pionibus instructi, nomen MARIAE
inaurato cupro incisum præferentibus.
Peregrinatum processuri, eleganti a-
gmine, pulchriori ordine, incompa-
ribili modestia, & pietate, rapie-
bant omnium oculos, accendebant
animos, dilatabant pauperum lacer-
nas, universos admiratione comple-
bant,

bant. Expensæ factæ in labara, fercula, cæterūmque apparatus in ingentem summam excurrunt. Certè Celsissimus, & Reverendissimus Princeps Carolus Emmanuel Madruzius, præter alia in Congregationem munificentiae suæ argumenta, semel vestem submisit exornandæ B. Virginis Statuæ 200. imperialibus æstimatam. Quo in genere etiam singularem sibi laudem promeritus est Prænob. D. Passinus Salvoti, vir omni encomiorum genere nunquam satis exornandus; fatus functus anno 1657. In hoc Patrem experti sunt Sodales annis ferme 20. nunquam non ad omnia obsequia paratiſſimum. Domus ejus, rebus omnibus iuſtructissima, Sodalitii nostri, & supplicationum Vestiarium vocabatur, ex quo, quidquid velles, in quæcunque uolum, haberet, eâ viri integerrimi patientiâ, ut ne verbo quidem illatum damnum proderet. Octogenariô major, humbris Soda-

Sodalium funere in paucis magnifico elatus est, ad recipiendam stolam immortalitatis, eò pretiosiorem ia Cæsis, quò cultius Vestiarium Magnæ Matris honoribus in terris instruxerat.

Ubi supplicabundum nostrum agmen Civitanum ante Virginis conspectum delatum est, mira edita fuere non ordinarii amoris in Deiparam argumenta. Illud singulare, quod primis annis, Duce, & auctore Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Comite, & Canonico Hieronymo de Wolckenstein, soliti fuerint extraordinaria devotione renovare suam formulam Marianam, sed quo ordine? Sub finem Sacri cantati, dum orationibus calent omnia, concipiunt flamam multiplicem lactei candoris cerei, qui per singulos distributi, manus arctè prensantur ad explicandum mentis candicissimæ depascens incendium. Mox assisi proprius ad pedes

MARIÆ, dum fortis cerei, intus pectora, suis quæque liquantur æstibus, una voce, & totius animi, corporis que contentione amoris vinculum, jam alias in Odeo Mariano injectum, de novo stringunt fortius, coarctant, & nexibus æternaturis in nodum cogunt indissolubilem. Demum datæ fidei, & rei gestæ ab uno nomine omnium oblatum chirographum in amoris ara sacrificant, séque ipsos concremandos nobile jungunt additamentum. Verum, quō munitum sigillō hoc chirographum apparuit? Fertur suisse Sodalis, qui, ut JESU, & MARIÆ dulcium amorum suorum ardentiūs meminisset, eadem divina nomina ferventi sigillo, inter carnis incendia, & dolores graves, lato, & alaci vultu pectori impressit. Sed & nostræ huic formulæ sigillum impressit non aliis, quam amor, signaculum MARIA, cera cor ardentissimum amoris liquatum ignibus, juxta Dile-

Dilectæ votum : pone me ut signaculum supra cor tuum.

Quæ quidem devotionis studia, quantopere Magnæ Matri arriserint, illa sat luculentō pàm fecit beneficîo. Annô 1634. in supplicatione Civezanensi nobilis genere, & Beatæ Virginis insignis amator ob luxatos lumbos claudicans, eques ascen-
dit. Non procul à pago, locô ini-
quissimô, & maximè præruptô, ali-
um juvenem fessum in equum secum
accipit : sed equus oneris impatiens
retrocedere, erigere se, & ruptâ an-
tilenâ utrumque tandem excussit.
Commodùm sequebatur Præses cum
aliquot Sodalibus Officium Beatae Vir-
ginis recitans, qui, viso equi feroci-
entis saltu, JESUM, & MARIAM
in clamans, frœnum apprehendit, &
equum sistit. Erant ibi tantæ viarum
angustiæ, ut una ex parte altissimæ
rupes cedentem equum arcerent, ex
altera immane præcipitium dehisce-

ret. Ope autem Beatæ Virginis falcum, ut uterque juvenis sternetur in ipsa crepidine laxi, ut neque transversæ manus spatium superesset, quæ à ruina servaret. Quin ipse equus, si uno passu transversum ivisset, simul cum utroque in præceps, nulla salutis spe, devolutus esset. Uterque juvenis nîl ex casu lassus est.

Et hunc quidem in vivis conservavit MARIÆ devotio: alteri, ut pientissimè è vitæ statione decederet, idem præstitit Marianus amor. Fuit is Horatius Leporinus, in patria sua mortuus Sodalis sanè ferventissimus, qui amoris sui monumentum, seu verius trophyum erexit, quando vi morborum prostratus jacuit in lectulo suo mortuali, ad cuius latus juss: rat sibi extrui Aram, & Beatæ Virginis Simulacrum sibi ante oculos ponì, ratus, tum securum esse mori, si sub Virginis Matris, Cœlique Reginæ pallio tegeretur. Ec-

certè, si mors est Echo vitæ, in morte patuit, quantum in vita dilexerit. Tantus ejusdem exsttit amor, ut, quemadmodum sacro fertur adagio : *ex abundantia cordis os loquitur* : animus de MARIÆ laudibus non interrupto cursu ad circumstantes efflueret, & illius pietas in Deiparam ardentissimo quodam scintillaret affetu, illam in ore, illam in oculis, animoque ferentis. Millies cum tenerissimo amoris sensu exclamasse auditus est : ô MARIA, ô Mater mea ! Vix est & ille cum S. Germano eodem arsisse desideriô : *DEI Matris nomen* fit mihi ultimus loquentis motus ; ut illud, velut olivæ ramum, in ore ferens, avolem, & requiescam, quemadmodum columba in salutari arca Paradisi. Nec suô votô frustratus est ; nam in hæc verba : *O MARIA Mater mea !* & ultimum suum emisit spiritum. O verè constans, ô verè fortis, sicut mors, dilectio, quæ, ubi
æte-

cætera omnia mors jugulâisset, ultimô locô MARIAE vocem sibi vitæ finem attingenti eripi non patiebatur; imò passa est nunquam, sed solùm humanas prætervecta metas, terris audiri desiit, ut oris æthereis altius insonaret. Et quæris amoris trophæa?

C A P U T II.

Alterum Coronæ Partheniæ decus, ardens formulæ Marianæ renovatio.

AN Sidera corruptibilia sint, vel incorruptibilia, Philosophi certant, & adhuc sub judice lis est, aliis affirmantibus, inficiantibus aliis. Illud certum, fulgentia in Mariano Cœlo Sidera corruptioni obnoxia, & lapsu temporis de primævo suo splendore multùm deperdere, nitorem diffluere, obscurarique, ni identidem novis adminiculis ad cursûs studium inflam-

inflammantur, animenturque. Præcipuum est Marianæ Formulæ renovatio, quâ usi Sodales Tridentini, sicut Aquila ad Solem expansas alas concutiens, veterascentes projicit penas, sic à senio in viridem ætatem resuscitare constanter allaborârunt.

Legimus; Camberii in Civitate Belgii olim Sodales, ut sua in Virginem amoris studia renovarent, cor argenteum dedicâle, alatum, & Stellis, lunulisque coronatum; inde libellus itidem ex argento gemmis distinctus prominebat, cui literis aureis Sodalium singulorum nomina erant inscripta. Ita fabrefactum solenni ritu, & agmine ad Virginis aram attulerunt. Maluissent illi cor suum alis instruere, illudque Patronæ Augustissimæ offerre. Hæc Sodales Camberii: quid Tridenti? Jam sub ipsa erectæ Congregationis nostræ exordia videor mihi intueri adolescentem, ut stemma-

stemmate, sic virtute eximum, qui fatali morbo in lectum dejectus, jam-jam suum ultimum præstolatur agnem. Verum, quæ arma ille expedit? quod Orco in tremenda illa lucta opponit scutum? Non aliud, quam Marianam formulam, effigiatam in cordis formam, non aureis literis, sed proprio sanguine exaratum, quam sibi à Congregationis Præside referri petiit olim in ara à se oblatam. Hanc moriens sustinet manibus, in hanc moribundos suos intorquet oculos, in hanc identidem lacrymis mixta evolant suspiria. Ferunt, Lacænas Matres filiis militiam auspicantibus scutum porrigere solitas cum lemmate: aut *cum hoc*, aut *in hoc*: quô Symbolo admonebantur militatui, ut vel *cum Scuto* domum redirent victores, aut pro patria pulchre morientes *in Scuto* cruenti deferrentur, ut mos erat, ad tumulum. En & hic longè gloriiosiorem Magnæ Matris filium, cum

cum scuto suo cruento jamjam properantem ad tumulum, qui experimento suo didicit, Marianam formulam scutum esse fortissimum omnium sperantium in se; nam paulò antè, quām efflaret animam, verba illa clara voce ingeminavit: *Sancta MARIA*: quæ verba initium sunt formulæ Marianæ, in quibus ille felicem posuit vitæ clausulam. Fuit hæc Mariana formula primis quoquè aliis Sodalibus optima moriendi forma, quam veluti tesseram suam habent, pronuntiantque, ut, hoc acceptò signo, Cœlestes genii portam Cœli aperiant amicis DEI.

Ad quæ emolumenta respexisse videtur Prænobilis Dominus quidam veteranus jam sub stipendiis MARIÆ miles, magnum Congregationis nostræ luminare, sed anno 1696. extinctum. Hic in mortuali lectulo, adstante Præside, de se professus est, annorum 40. spatiō, quibus in numero

mero Clientūm vixerat, nullo die se
prætermisso votivum hoc Marianæ
devotionis tributum pendere, ex quo
in retroacta vita, quantus in hoc So-
dali enituerit Virginis amor, quis
Mariani cultus ardor, haud ægrè col-
liges; nam illæ Parthenio obsequio se
devovendi toties repetitæ vices animum
in Beatam Virginem promptissi-
mum, & quod ea nobis egregiè cha-
ra sit, indicant, quod Patronæ no-
stræ non quām maximè placere non
potest.

Et his quidem Formulæ renovatio
viam ad vitam æternam aperuit: aliis,
ne inopinata morte præventi è vita
decederent, prodigiosè saluti fuit.
Memorant Annales ad annum 1646.
aliqueum non insimæ nobilitatis virum
Sodalitii nostri membrum, cùm die
quodam Deiparæ festo Marianam su-
am formulam devotè iterasset (ut
quotidie ei solenne erat) finitō Mi-
sæ sacrificiō, templō egressum, per-
cussus.

cufforem obvium habuisse, qui fistulam æneam s. plumbeis glandibus factam in ejus obversum pectus directam, exonerarit, pectore tamen penitus illæso (per Deiparæ beneficium absque dubio, quæ suorum Clypeus esse solet) brachio duntaxat, quod ex metu forte objecerat, leviter, & cute tenus perstricto. Prodigiosæ rei fidem fecerunt quinque foramina in adversa thoracis parte inflammatis glandibus inusta.

Et huic quidem Marianæ formulæ instauratio vitam servavit corporis; alteri nobiliorem illam animæ. Gravissima carnis tentatione impetebatur Sodalium Tridentinorum nonnemo, & quidem tam præpotenter, ut stygius Alastor non tantum vigili, sed etiam dormienti illudere, & sui impotentem fædis imaginibus obturbare pertinacissimè perseverarit. Quid non egit hic optimus Sodalis, ut omnem, quem caro, & dæmon excitarat, calorem

Iorem malum sopiret ? Spiculis spicula cupidinis ut retunderet, quot in Cœlum non evibravit suspiria ! Quot lacrymas non fudit, ut ardorem illum libidinis extingueret ! Ciliciō se se induit, quò magis lumbos in hac castitatis pugna haberet præmunitos : nudo corpus assere ad quiescendum depositus, ut sic vel dormiens pro pudicitia in excubiis perseveraret : Verbo, egit omnia ; sed actum egit : flammam repressit, sed non extinxit. Donec tandem hanc pro depressis adversus castitatem insulibus armaturam induit. Arreptō cultellō sanguinem prope cor elicuit, quò formulam scripsit, quâ se obstrinxit, & fidem obligavit conservandæ castitatis Virgini Matri. Scio equidem, leones, & tauros viso sanguine impotenter ferocire ; sed hic leo stygius furorem posuit, excessit, erupit, evasit, omni extincta belli flamma.

Sed hæc privatim acta, & intra
domesticos parietes, quid jam pa-
lam, & in Mariano Odeo? Quoties
vidit seculum hoc nostrum Celsissi-
mos nostros Principes, Illustrissimum,
& Reverendissimum Capitulum, Il-
lustrissimos DD. Comites, & Baro-
nes, cæteramque perquam copiosam
hujatem Nobilitatem, Magnæ Matris
aræ affusos solenni renovationis die
cum formula in manu obsequiosum
MARIÆ famulatum devoventes!
Annō 1668. Celsissimus, & Reve-
rendissimus Princeps Alphonsus Sigis-
mundus electus in Præfectum, tor-
mulam Marianam omnibus prælegit,
non sine maximo pietatis ingenitæ
sensu, cum cereo in manu candidissi-
mi sui in Virginem amoris indice.
Annō 1681. Festō S. Josephi ad re-
novationem formulæ præter Celsissi-
mum Principem, & Illustrissimos, &
Reverendissimos Canonicos Cathe-
dralis Ecclesiæ omnes, comparuerunt
DD. Se-

DD. Sodales eâ frequentiâ, ut numerati sint suprà 500, iis non annumeratis, quos extra Urbem per totam latè Diœcesin sparsos, vel locorum distantia, vel animarum, aut Republicæ cura suam nobis præsentiam indulgere non permiserat. Quamquam & in hoc rarus apparuit zelus in Sodali quodam Ananiensi, qui eo in B. Virginem amore ferebatur, ut multa milliaria unius diei spatiô confecerit, licet itinera ob nives, à sole liquefactas, fuerint admodum luctuosa; hanc tamen difficultatem, cùm nihil invium sit amori, fortiter superavit, ut præsentem se sistere posset renovationi, suáque manu formulam votivam Aræ Magnæ Matris imponere.

Cæterum longè absentibus solemnissimum semper fuit ipsò renovatio-
nis festo, submissâ formulâ præsentes
se sistere, innovare Mariani amoris
fœdera, adjectis etiam ferventissimis
lite-

literis, quibus profitebantur, se antiquam etiamnum cum Sodalitio nostro amicitiam colere, in pulchræ Societatis gremio, in officio ad mortem usque perstituros. Certè complures ad hæc appulsi confinia, votivam formulam, ultima fide munitam, & ob signatam, huc remotis sæpè à locis transmisere, non valedicturam, sed foederis jura renovaturam. Est quidem aliàs mortis hora, solvendis nodis Gordiis amicitiæ multò, quām rebus diripiendis potentior: hæc tamen amoris non solvit vincula: in ipsam usque mortem conspirant Sodales. Adhibeat licet illa falcis iustum, incassum ferit: vitam truncat, non amicitiam Marianam.

Quia verò amantur ea quoque, quæ Dilecti sunt, hinc jam à primo erectæ Congregationis anno Divo Josepho Virginis Sponso solennes honores quot annis statos decreverunt Sodales nostri; nam ejus festa luce, cer-

tâ, & à consueta illa Mariana distin-
ctâ formulâ à D. Præfecto recitatâ,
hunc Archiatrum in Patronum singu-
larem, & perpetuum adscivere. In
qua solennitate quot annis unus è So-
dalibus, isque sœpissimè Illustrissimo
Sanguine natus, ingeniosa & ferven-
ti panegyri in Ejusdem laudes excu-
rit, & cæterorum Sodaliū animos
ad Divi cultum succendit. Ipsa Ora-
torii ara magnum hunc Verbi Incar-
nati Nutrictum cum JESU, & MA-
RIA exhibit, & spectandum propo-
nit, ut nimirum Sodales intelligerent,
ad quam cynosuram in omnibus suis
necessitatibus respicerent. Christus
amat ut fratres, qui MARIAM dili-
gunt ut Matrem: Josephus protegit
ut Pater, quos MARIA assumpsit in
filios. Et quid non sperandum à tan-
to Patre?

Non itâ pridem pientissimus Soda-
lis ingeniosam picturam curavit con-
fici, quæ repræsentabat Christum cum
calæ-

calamo scriptorio in manu ad mensu-
lam eonsidentem in cubiculo, ad la-
tus verò adstantem Divum Josephum.
Cubiculum subibant varii Clientes,
Christo exhibentes libellum suppli-
cem, cui exterius inscripta erant va-
ria supplicantium vota. Pauper ro-
gabat vitæ subsidia; Agricola copio-
sam messem; miles victorias; æger
sanitatem. Verùm Christus digitō
Divum Josephum demonstrans, ad
eundem hos clientes amandabat illis
verbis ex ore Salvatoris prodeuntibus:
Ite ad Joseph. Ac si diceret: si hic
gratiarum mearum Oeconomus annu-
erit, vestræ preces ratæ sint, exau-
diam, subscribam. An non his Cli-
entibus jure annumeraveris Sodalita-
tem Tridentinam. Sed quem libel-
lum supplicem illa porrigit? non ali-
um, quam Formulam Votivam, Divi
Josephi honoribus dedicatam. Ast
quid petit? En formulæ clausulam:
Obsecro te igitur, suscipe me in servum

perpetuum, ad sis mihi in actionibus omnibus meis, impetra verum mihi DEI, & Beatissimæ tuæ Sponsæ amorem; nec me deseras in hora mortis.
Amen.

Caput hoc claudat Prænobilis quidam Sodalis Tridentinus, qui pro zelo, ut Mariana Formula cum summa Virginis gloria renovaretur, an. 1641. libellum suis sumptibus in lucem editum strenæ loco omnibus DD. Sodalibus obtulit. In eo, dum singula formulæ verba ingeniosè, & nervosè examinat, acri crisi eos perstringit, qui omnia Sodalis officia definiunt sola, & nuda Formulae renovatione; de cætero verò non sint Deiparæ, sed servi peccati, propudiosa Veneris mancipia, quorum DEUS venter est; & tamen MARIAM, quam turpiter deseruerunt, à cuius castris perfidè transfugerant, consuetâ Sodalitatis formulâ magna voce hypocritæ inclamant:
Sancta MARIA Mater DEI, & Virgo,

go, ego te hodie in Dominam, Patronam, & Advocatam eligo &c. Quid ais, inquit ille, quid loqueris? Ego te eligo. Quis? Quam? Spina rosam, impudicus Virginem, Servus rebellis Dominam, desertor datae fidei Patronam? reus mortis æternæ Advocatam? Quid illud? Firmiter statuo, ac propono, me nunquam te dereliquerum. O firmitatem! ô propositum dudum ventis datum! Quid juvat quotidie proponere, si licet propositum quotidie deponere? An non hoc est ædificata destruere, & Sisyphi sanguum in montis fastigia evolvere, mox iterum in vallem imam reversurum, & fortassis aliquando dominum suum pro laboris mercede obtriturum? Addis: *nihil contra te dicturum.* O linguam impudentem! cuius guttur instar sepulchri foetentis eructat verba probis omnibus erubescenda, & illos Sirenum spurcidos cantus, non jocos, sed jacula, quibus innocentia confo-

ditur, & à Virginis ara ad Veneris
haram rapitur immolanda. Túne
spondes, te non permissurum, ut à tuis
subditis aliquid unquam contra hono-
rem Matris DEI agatur, qui hoc
unum agis, ut alios verbō, & exem-
plō seducas, corrumpas, & à pietatis
exercitiis abstrahas? Quid ad hæc ali-
quando reponet læsa *Domina*, contem-
pta *Patrona*, rejecta *Advocata*? Ità
ingemiscit, ità suspirat zelantissimus
hic Sodalis. Sed quem petunt hæc
fulmina? non utique nostros Sodales,
quos hoc in libro unicè nobis propo-
situm pro meritis exornare encomiis.

C A P U T III.

Tertium Partheniæ Coronæ
ornamentum, Frequentia Maria-
norum Conventuum.

OPinantur Philosophi, à Sole,
Luna, cæterisque sideribus in
vasta illa Congregatione aquarum,
seu

seu mari, excoqui, & progigni Margaritas. Est & devotio erga Beacam Virginem, teste Barradio, Margarita, prô quam pretiosa, quam pulchre radians in Marianæ gloriæ Corona! Sed ubi hæc Margarita à muliere illa, vestita Sole, & Lunâ, stellisque coronata magis excoquitur, perficitur, elaboratur, quam in Marianarum Congregationum sinu, quem jure hujus Margaritæ concham dixeris? Qui hanc devotionem reperit, reperit thesaurum magnum, signum prædestinationis, salutis tesseram.

Quæ res, & spes videtur innumeros omnis ordinis, ætatis, & dignitatis Sodales nostros permovisse, ut nil magis sibi cordi habuerint, nil magis repetitis decretis urserint, quam Marianorum Conventuum frequentiam. Quo quidem in genere nunquam intermorituram promeritus est laudem Celsissimus, & Reverendissimus Prin-

ceps Carolus Emmanuel Madruzius, maximum Congregationis nostræ non tam ornamentum, quām columen, qui licet gravissimis Ecclesiæ suæ distineretur & negotiis, & curis, hæc tamen omnia suo in Virginem amori posthabens, à Cœtu Sodaliū rarissimò, & non nisi urgentissimis ex causis notatus est absuisse. Bis in Præfectum electus, prima vice demississimis verbis officium deprecatus est, indignum se dictitans, nec iis instrutum virtutibus, qui pro muneric dignitate aliis exemplō præluceret. Iterum electus, præfecturam clementissimè admisit, & suo se officio, negligētā quodammodo Principis persona, ità conformem gessit, ut Præfeci Mariani partes exactissimè impleverit, identidem particulares Præfecti regulas per volutare solitus. Conciliis Marianis diligentissimè corām præsidiabat. Precibus ex consueto Sodalibus libello recitatis, initium Conventibus

tibus dedit, & finem. In destinata
Præfecto sella suos inter Assistantes
considens, attentis auribus, perorant-
is Præsidis verba excepit. Tirones
ipsemet instruere voluit, & si quem-
quam Sodalium in Marianas Leges
deliquisse inaudierat, in arcem ad se
evocatum, gravissimis verbis sui il-
lum officii admonuit, verè juxta Apo-
stolum Pastor bonus, qui cùm Do-
mui Marianæ præesse solicitè scivit,
& Ecclesiæ DEI diligentiam habuisse
hōc argumentō probavit.

Insignem quoque hoc in genere
laudem, alcè nostris impressam mo-
numentis reportârunt iñumeri alii,
quos inter insigniter eminuit Præno-
bilis Dominus Antonius Tonietti. De
hoc clarissimo suo Sodali perhibent
Congregationis Annales ad annum
1649. Eum assiduâ in Conventibus
præsentia usque ad mortem cæteris
eximio fuisse exemplo: ac, si gravis-
simis fortè negotiis abesse cogeretur,

absentiam suam demississimis verbis,
vel statim per schedam , vel ipsum-
met altero mox die corām apud Præ-
sidem excusâsse. Alius Prænobilis So-
dalis, admodūm senex, cùm ultimis
vitæ suæ annis solus adire Sodalitatem
nequirit, Partheniorum tamen Con-
ventuum eō tenebatur desideriō, ut ad
eos tempestuosō etiam Cœlō una ma-
nu scipione, altera ductoris brachiō
nixus, frequens adreperet , magnō
non modō Sodaliū, sed etiam alio-
rum religiosi sénis fervorem intuenti-
um solatiō, & exemplō. Nec omit-
tendi hīc etiam nobilissimi , ac vete-
rani Sodales , qui , ut Conventibus
Marianis à meridie statim haberi so-
litis interessent , cùm int̄ rea necdum
domestici ad corporis refectionem ac-
cessissent, sustinere impransi, differre
cibam in tempus solis amplius deve-
xi maluerunt, quām vacare ab offi-
cio zelosi Sodalis. Vulgaria hæc vi-
deri possunt, si à Gymnasi Aumnis

præstari debuerant; Verùm, quòd eò usque Statutis Marianis compingi se passi sint viri, summa auctoritate polientes, sanguine, doctrinâ, & dignitate florentissimi, nunquam non ad alia invitati, id enim verò singulare fuit, & à Legibus, si quidem sperari, impetrari certè, nisi ab amore, rebus demum omnibus imperitante, non potuit. Et tamen frequentiam nobis suam, & parendi facilitatem promptissimam commendârunt Sodales Principes, Comites, Barones, Nobiles, illustrî suò exemplò demonstrantes, hac in re non parùm momenti ponendum; cùm ipsum *Congregacionis* nomen ex eo videatur esse derivatum, quòd unà *Congregati* Divinæ Matris cultores mutuâ præsentia, mutuisque exemplis, velut igniti carbones, accendant se magis invicem, inflammantque. Et verò id ià fieri doceat experientia, totiusque anteacti seculi sentus, ac sententia fuit, à fre-

quentatione Conventuum pendere nomen , & rem Sodalitatis.

Nec defuere, qui ad hanc frequen-
tiam promovendam omnem suam o-
peram, studiumque contulere. Exi-
mius quidam Jurisprudentiae Doctor,
anno 1638. obtulit, se daturum quot
septimanis anno integrō Sacerdoti
eleemosynam congruam, qui quovis
die Dominico Sacrum in Congrega-
tione diceret pro Sodalibus vivis, &
defunctis, ac Benefactoribus. Gemi-
na ad id consilii se impelli dictabat
ratione, quarum prima, ut non pau-
ci post prandium impediti, saltē man-
nē ad Communionem quietē peragen-
dam venire possent ad Congregatio-
nem. Altera, quia multi ob devo-
tionem majorem, quam in loco Con-
gregationis persentiscerent, hoc præ-
optabant. Reperti sunt tamen Sacer-
dotes complures, qui sponte sua, nul-
lō stipendiō admisso, ad Sacrum di-
cendum conveenerunt, & ita non pau-

cos Sodalium ad idem audiendum per-
traxerunt, instituendamque unà simul
in Oratorio Communionem, quod
etiam Regula inculcat, uno loco, eo-
démque sub sacro celebrare id convi-
vium jubens Sodales; partim, ut
præcipuam unionis tesseram simul ac-
cipiant, fœdusque omnes inter se a-
moris renovent; partim ut mutuis
flammis se se incendant, & simul
quasi id pro se quisque alteri acci-
nat, quod Sanctus Augustinus: *Ra-
pe ad eum tecum, quas potes, animas,
& dic eis, hunc amemus, hunc amemus:* *Nam unus quomodo calefiet?* De-
nique reliquorum bono, atque exem-
pli id sit, ut multitudine illecti. &
ipsi ad eas dapes frequentius adeun-
das invitentur, quæ delicias promit-
tunt non fluxas, & nauseam paritu-
ras, sed limpidissimas, & famem pro-
mittentes in ipsa saturitate.

Porro, ut Marianorum Conven-
tuum frequens promoveretur, &

illicium poneretur, laudabilissima hæc
introducta est consuetudo, ut ad men-
sis cujusque principium singulis So-
dalibus Cœlites Patroni designentur,
expressâ eorum icone, vitæ historiâ
cum sententia è SS. Literis, aut San-
ctis Patribus desumptâ, ex quorum
lectione Sanctos non tam venerari di-
scunt, quam imitari, non sive operæ
pretio. Quot enim harum sententia-
rum sedula lectione non fuerunt à vi-
tiis revocati, abstracti, ad religionem
incitati! Quot, quantisque non fuit
persuasa gravis summæ restitutio!
Quot vacillantes in bonis propositis
zoborati! Quot, quantisque, ut do-
mui suæ mature disponerent, non fue-
runt mortis nuntii!

Testis ille Sodalis Tridentinus, cui
anno 1671. in sortitione SS. Men-
struorum sorte obtigerat Patronus D.
Matthæus Apostolus cum adscripta
sententia de diversa Justorum, & im-
piorum morte. Ipsa D. Matthæi su-

ce post meridiem sanus, & hilaris cum
socio in villam pergebat animi rela-
xandi causâ, & ecce, vixdum ab Ur-
be discesserat horæ dimidium ; cùm
repentè ad socium conversus, hem,
inquit, animus mihi linquitur. Nec
plura effatus , defluit in terram, ac
paulò pòst inter socii manus extin-
guitur. Agnovisse præsago spiritu ,
& ipse sibi mortem ex S. Menstrui sen-
tentia prænuntiâsse videbatur, quan-
do in fine scholastici anni Sodalibus
quibusdam valedicens : Valete , di-
xit , revisemus nos in Cœlo. Et
huic quidem SS. Menstrui ad mortem
nuntii , aliis exstitere ad vitam Du-
ces.

Fuit Parochus Tridentinus , qui
tumbam suam sepulchralem , quam
in vivis adhuc confici sibi curârat,
intus , & foris affixis suorum Sancto-
rum Menstruorum iconismis , vesti-
vit , ac ornavit , probè gnarus , quàm
fidos comites tam periculoſo itineride-
legis.

legisset. Procul dubio bonos Duces
in morte, si modò vivi eos sequi con-
sueverimus. Fuêre alii, qui morien-
tes voluerunt SS. Menstruos loculo,
& sepulchro secum inferri. Credo,
ut vel in papyro districto Judici ex-
hiberent suæ causæ patrocinia. Ma-
gna confidentia! Quam, nescio, an
multi alii asserre ausint ad illius tri-
bunalis Assessores, ne se ipsos insignis
potiùs socordiæ deferrent, si quo lo-
co non tam à morientibus, quam à
vivis habiti essent Patroni, dicturi
forent. Faciunt, quod olim obivêre
officium, etiamnum SS. Menstrui;
singulis mensibus succedunt alii ad
Clientis tutelam; ast ubi reciprocus
fructuum proventus? Ubi bona ope-
ra? Scio, cur palam non exhiben-
tur, saltèm, ut olim in more positum
fuerat, folio tenuis? Evidem non
ignoro, à nonnullis hunc morem,
quasi vanè se ostentandi ansam præ-
beat, sugillari. Sed perperam; cùm
Chri-

Christus ipse moneat: *Videant opera vestra bona, ut glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Ad hæc, cùm ad reliquorum notitiam cujusque præclaræ facinora deveniunt, ad imitationem alii provocantur, alii læticiam capiunt, se in ea Sodalitate vivere, è qua tantum boni in omnes participes derivatur; ut adeò in hac consuetudine mali nihil, aut vani inesse invenias, quām quòd malè reprehendatur.

Cæterū, Marianos Conventus quod attinet, in Actis rep̄erio, nîl magis Marianos Magistratus totō s̄eculō ursisse, quām eorundem frequentiam, adeò, ut qui tribus mensibus non impediti hos Conventus frequentare neglexissent, eò ipsō Congregatione motos esse perpetuō statuto decreverint. Sapienter videlicet judicabant, Sodalium in ordine retineri non oportere cum, qui ejus statutis parere detrectaret (cur enim bene-

beneficiis frueretur, qui officia sequi nollet?) & talem penitus non esse de numero Sodalium, etiam cum hos inter medius graditur. Neque enim appareat, quid demum faciat Sodalem, nisi vita genus legibus impletis eximium, quo semper primariò spectare credita est illa sanctio de frequentandis diligenter Marianis Conventibus. Hinc etiam in eos, qui hisce legibus se se illigari exleges, refractarii, non paterentur, constanter in eos exclusionis fulmen intortum est, cuius effectum sanè funestissimum sensit ille Sodalis, qui ob perditos mores anno 1634. à Cœtu nostro exclusus, poenam hanc cum risu excepit, sed in suum risit interitum; nam post sesquimensem in Athesi natans, sinè ullo poenitentiæ signo submersus est, cuius cadaver aquarum impetu Veronam usque deportatum, post aliquot dies inventum est à corvis consum-

ptum. Utinam anima non cessisset
in prædam milvo stygio!

Reperiuntur , proh dolor , etiam
in Cœlo Mariano ejusmodi vertiginosi
Phaëtones , qui à Marianarum legum
semitâ exerrantes , præcipites agun-
tur è Cœlo in aquas , utinam non le-
thæas ! Reperiuntur & Sidera erran-
tia , ignes fatui , funesti cometæ , qui
Veneris sidere afflati , & ascendentib-
us jugiter è caliginosa concupiscen-
tiæ palude malignis exhalationibus
succensi , præcipiti cursu ab uno side-
re in aliud rapiuntur , longissimum
post se iniquitatum syrma trahentes ,
scandalis suis alios involventes , & pec-
cata peccatis conglomerantes . Ve-
rūm , quid portendunt hi Cometæ ?
Aliis stragem , sed sibi ipsis exitium
longè funestissimum ; utpote quibus
reservata est procella tenebrarum in
æternum .

C A P U T IV.

Quartum Marianæ Coronæ
decus, Humilitas.

Olim inter eruditos hoc ventilatum est dubium, quidnam illud esset, quod uno, eodemque tempore simul & maximum, & minimum appellari posset? Fuere qui solem esse dicere, utpote oculis nostris parvum quidem; cum tamen terrâ centies, & sexagies major esse perhibetur. Alii stellam esse contendebant, quæ nobis quidem velut quædam ignis scintilla apparet; cum tamen vel una illarum mundum terrestrem magnitudine sua centies transcendat. Alii pupillam oculi esse asserebant, quæ ad contemplandum uno noctu amplissimum Cœli siderei hemisphærium extenditur; cum tamen instar atomi minutissima sit. At verò aptius ad propositum nostrum affirmaveris id, quod

quod simul maximum, & minimum
est, esse humilitatem MARIÆ,
dicentis: *respexit humilitatem ancillæ
suæ: & iterum; fecit mihi magna, qui
potens est: nemo enim imaginari sibi
potest humilitatem magis infimam,
& dignitatem magis sublimem.* Hac
& tu decempeda utere, amice Lector,
si Stellarum magnitudinem in hac Ma-
rianæ gloriæ corona fulgentium ma-
gnitudinem metiri lubeat. Tandem in
oculis DEI majores invenies, quanto
in suis minores; si in suis minimas,
tunc in oculis DEI maximas pronun-
tiabis.

Quod Sanctus Augustinus illis ver-
bis monuit: *cogitas magnam fabricam
construere celsitudinis, de fundamento
prius cogita humilitatis;* id in nostri
Sodalitii origine & fundamentis appa-
ruit. Instituerat more suo primo mox
ab adventu suo in Urbem hanc Socie-
tas JESU Sodalitatem Marianam sub
Titulo Beatæ Virginis Annuntiatæ.
No-

Nomen huic dedere adolescentes 14.
lectissimi, qui cæteris speculum vir-
tutum futuri credebantur. Nec fefel-
lit expectatio ; ne cum enim annus
integer effluxerat, & jam non juvenes
solum certatim Sodalium horum fer-
venissimorum æmulari studia cæpe-
runt, sed & dignitate Ecclesiastica,
& Civili, ac gradu doctorali insignes
viri se teneris adolescentibus associare,
& cum iis cominixti in operibus Ma-
rianis Legibus præscriptis se se exer-
cere non erubuerunt. An non eximi-
um hoc est humilitatis spectaculum ?
Videre viros grandævos, nobilitate,
& sapientiâ claros, & inter hos etiam
Illustrissimos, & Reverendissimos Ca-
nonicos, Illustrissimos Comites, Ba-
rones &c. integris 10. annis, qui-
bus minor Congregatio Majori con-
juncta erat, adolescentibus permixtos
in Conventibus sedere, imò illis de-
missione prorsus rara se se subjicere,
& tamquam superiores suos venerari,

quos

quos aut ùt patres genuerant, aut domi ùt patres-familias gubernant? etenim non tantùm viros, & Sacerdotes, sed & 16. annorum adolescentes in Præfectos elegerunt.

Quàm longè ab horum vestigiis absuit ille Legis Doctor in Germania, Sodalis quidem, sed qui raro in Conventu se sisteret, eò quodd illum puderet jam ætate gravem, scientiæque clarum, adolescentibus Studiosis immixtum sedere. Admonitus à Sodalitate, ut juxta Leges Marianas Cœtus diligenter frequentaret; respondebat homo altum supercilium adducens: *legis Doctor ego sum: reliqui, discipuli, aut ferè pueri.* Beata Virgo errorem gravem Doctorem hunc de docta, hanc somnianti imaginem objecit. Videbatur sibi hic Conventui ordinario interesse, sub quo Beata Virgo Sodales omnes accedebat, tenuerrimèque singulos amplectebatur ut amantissimos filios: ubi vero ad illum

lum venisset, severo intuitu, indignantique similem transisse. Hoc somnio duo præstitisse videtur mihi Deipara. Huic Doctori quidem spectaculo territo tumorem mentis exemit, & Conventuum frequentiam persuasit; sed longè magis ostendit, quā grata suis oculis acciderit Tridentinorum Sodalium spontanea illa animi demissio, quā se utique genuinos filios probārunt Matris illius, quæ se vocavit *Ancillam Domini*; nam, ut recte observat S. Bonaventura: *aut enim Sodalis MARIÆ est humilis, aut filius humillimæ Matris non erit, quæ est solummodo Mater humilium.*

Sub eadem Congregationis exordia inductum erat in mores, ut Nobiles quandoque urbem obirent, ac ostiati mendicarent stipem. Videri fors posset, id fieri non potuisse sine præjudicio pauperum; cūm divites, quando mendicant, eleemosynis defraudent pauperes, nec fructus faciant suos.

suos. Verum nostri mendicantes,
cum essent Domini, pauperibus, in
quos omnia iterum distribuebant, per-
mittebant usum fructum, sibi solum-
modo reservantes calcati fastus do-
minium; sed non altum, cum humili-
lia DEUS respiciat, ut attollat, qui
alta a longe cognoscit, ut deprimat.
Cæterum occasio opportunissima ca-
piebatur exercendæ humilitatis in
ipsis Conventibus Marianis: Tum e-
nimir præcipui quique, ac nobilissimi,
tam Ecclesiastici, quam Sæculares,
Præfecto præeunte, in Christianæ de-
missionis actus convolare suere soliti.
Flexis genibus tam Jurisprudentiæ,
quam Medicinæ Doctores veterani,
injungi sibi pœnitentias pro virtutum
variarum, ac primùm humilitatis con-
secutione rogabant; Ipsi de culpis com-
missis se se arguere, & desiderare de
iisdem coargui, & intrui palam in
morum formandorum modo, ac ra-
tione consuevere: pedes ad hæc cæ-

terorum DD. Consodalium reverenter deosculari ; considere humi, aut ad portæ limen ; commutare honoriorem, qui debebatur, locum cum inferiore ; cæterasque sui despicientiae occasiones certatim captare. En ! quam profundè descenderint Illustres hi Sodales ! In abjectis nimirum officiorum generibus quam maximè certitum humilitas, & quanta in animis lateat, externis his indiciis se foras prodit. Atque haec nobiles fecerunt, existimaruntque ab humilibus quoque Sodalitatis officiis plus lucis , quam à splendore natalium sibi accedere , pulcherrimumque esse in eo potius excellere , quod virtutis , quam quod naturæ est : illa enim nobilitas propria , haec aliena , & fortuita est. Anno 1637. cum Congregatio scenam adornaret Magnæ Matris honoribus destinatam , soli nobiles , & quidem prima urbis Capita , Viri etiam Senatoria , & Consulari dignitate eminentes ,

tes, ut actores in theatro comparere voluerunt. Imo novum theatrum, idque sat operosum & delinearunt, & depinxerunt ipsi, ac propriis manibus construxerunt, & erexerunt, nullò aliò in mechanici hujus officii societatem admissò, præter nobiles suas manus. Ferunt, Neronem olim obstupescendò artificiò repræsentasse in theatro totum Cœlum stellatum: In Mariano hoc theatro, ac prosce-
nio, dum ego hos Nobiles considero, totidem mihi stellas videor intueri: stellæ quantò altius situantur, Cœloque Empyreo propinquiores sunt, tantò minoris apparent magnitudinis; ità & hi, quantò erant maiores in oculis Cœli, tantò minores voluerunt ap-
parere in oculis mundi.

Singularem quoque hoc in genere laudem attribuunt nostri Annales Prænobili Domino Christophoro Durni-
zel, qui singulis diebus Dominicis ex arce sua duobus milliaribus Italicis dis-

sitâ, ut Conventui interesset, Tridentum venerat, & quidem pedes, indecens fore ratus, si ad tantæ Domini famulatum eques accederet. Sodalis hic exstitit demissionis adeò studiosus, ut ad omnia Sodalitatis officia non modò promptissimum se se exhibuerit, sed etiam insima enixissimis quandoque precibus extorserit. Alium memorant Jurium Doctorem, ut genere nobilem, sic scientiâ, auctoritate, rerumque agendarum peritiam nulli tunc temporis hac in urbe secundum: Hic tunc absens, cum Senatus instaurandus esset, negotia Principis sui Oenipontana in Aula agebat. Unde literis sanè ferventibus sibi exoravit officium vel Lectoris, vel Janitoris, qui nimirum atrii & aperiendi Oratorii curam gereret. Intellexerant nimirum hi, regni speciem esse, ut DEO, ita & DEI Magnæ Parenti præstare famulum, ob quem absit, ut quis verecundetur; Nam quæm-

quemadmodum Domina ipsa nostra non alio magis virtutum opere, ut constat, quam humilitate, ancillam se vocando, Numinis Maximi summam gratiam est promerita: ita de Matre Divina nemo merebitur magis, nemo ad ejus amorem, aestimationemque accedet proprius, quam qui se omnium maxime inter ejus servos abjecerit, demiseritque.

Eò respexisse videntur Sodales illi, qui anno 1642. ita animi demissioni studuere, ut publicè Templa, & Ora-toria scopis verrera, & diversa famulantium munera obire etiam à natalium splendore clarissimi Juvenes non modò non erubuerint, sed etiam quodammodo sibi proprium fecerint. Eò respexisse videntur & illi, qui, cum seriùs etiam, culpâ non suâ ad Cœ-tum Marianum venissent, publicâ statim in Conventu pœnitentiâ sponte suscep-tâ, diutina nimirum ante aram genuflexione, aut impacto terræ oscu-

lo, qualemque piaculum suum expiarunt.

Sub initia erectæ Congregationis migrantibus aliò solenne fuit flexis genibus in publico Conventu veniam erratorum petere, se se in Sodaliū preces, & in Patronæ communis Patrocinium commendare; atque in cultu Marianæ pietatis constantiam imposterum, atque in his, ubi fortè remissius egissent, emendationem polliceri. Neque in hac virtute operæ pretium fuerit singularium personarum meminisse, quando eam tunc temporis omnibus communem, ex opportunitate saepius captata, quam oblatā, fuisse legamus.

Verum, cum juxta antiquam illam parœmiam, *Principium fervet, medium tepet, ultima languent,* fervor hic remisissit, anno 1645. actum est in Concilio Mariano de pœnitentiis in Conventibus publicis obeundis, tum quod harum usus vigeat alibi, &

Tridenti quoquè olim sanctè fuerit observatus. Statuit proin Magistratus Marianus, esse morem instaurandum, statimque publicè pœnitentiām petiit ipsem Congregationis Præfectus, aliique DD. ex Mariano Magistratu, quorum exemplum constanter alii Studiosi, & Domini secuti sunt, ut ex Actis horum annorum abundè patet. En ! quid exemplum possit, præsertim si in Legislatore splendeat. Non efficaciùs præcipitur pietas, quàm præcundo.

Cùm anno 1634. Sodaliū non nemo ob crebriorem absentiam à Sodalitio exclusus esset, ejectusque, quò ille se recepit ? Ad asylum demissio-
nis. Factâ squidem publicâ pœnitentiâ, sui delicti veniam deprecatus est, & osculo pedibus Sodaliū fixo, recitatisque aliquot orationibus ex-
pansis brachiis, denuò admissus est, sanctè pollicitus, se imposterum Congregationis honorem pro viribus pro-

moturum, & pœnitentias libenter suscepturn, si delinquere contingat. Et quod certius hoc ultimum præcaveretur, sibiique in posterum non emanendi imponeretur nec satis, se se ad obeundum vel æditui, vel janitoris officium perquam demissè obtulit. Forsan huic accines illud: *si non errasset, fecerat ille minus.* Venium longè gloriostius ad infima hæc officia se se demisere duo illi Doctores, viri nobilitate, scientiâ, ac virtute eximii, quondam nostri Sodalitii Præfecti, qui officio suo decedentes, ex summo ad imum descendere, & alter quidem Janitoris, alter Lectoris officiò fungi volueret. *Non est magnum, inquietabat S. Bernardus, humilem esse in abjectione: magna, & rara virtus humilitas honorata.*

Sed quorsum collimârunt Illustrium horum Sodalium tam ardentia se ad infimum detrudendi locum surdia? Voluerunt in Sodalitio, velut in humi-

humilitatis palæstra, his exercitatio-
nibus suppressere innatum illum præ-
cellendi pruritum, eradere delicatis-
simum illud *punctum honoris*; ediscere
novam linguam, non illam naturæ
congenitam, Lucifero tam familia-
rem: *conscendam: exaltabo solium*
meum: sedeba in lateribus Aquilonis:
per quem quidem ascensum tot ad in-
ferna descendunt: exaltantur, ut la-
psu graviore ruant: qui præcellendi
appetitus tot in mundo tumultus sus-
citat, Divinæ Providentiaz evertit
ordinem, in altum attollit, ut quan-
doque regant, qui se ipsos regere non
noverunt, multò minùs alios.

C A P U T II.

Quintum Marianæ Coronæ Sidus, Charitas Proximi.

Charitas inter virtutes est, quod
Sol inter stellas; omnibus enim
suam claritatem, & bonitatem distri-

buit: id quod etiam teste D. Bernardo luminosus ille, & mysticus Matris Misericordiae habitus sat declarat: MARIA enim est, quæ velut alterum Solem induit sibi; quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Sed & Luna sub pedibus ejus, Luna depicta cum lemma: *velocitate præstat:* Absolvit enim circulum suum inter planetas alios cito. Sic velocius occurrit MARIAE pietas, quam invocetur, & causas miserorum anticipat.

Et ex hoc tam benefico sidere, ex hoc luminari magno in minora nostra Mariana sidera quantus non derivatus splendor apparuit proxime exacto saeculo! Commune pluribus fuit, ut Annales perhibent, Xenodochja, atque

que decubentes invisere, iis solatiō, atque auxiliō præstō esse ; & ægris quidem Sodalibus extraordinaria solatia nunquam non solicite procurare, dies, noctesque ad eorum lectos divisa operâ excubare, & nonnunquam communes comprecationes pro iisdem instituere : etiam in egenorum Sodaliū funera opem corrogare : iniqua accusatione delatos in re gravi, etiam cum offensa adversariorum defendere, ac periclitantes in munere, & honore, suscepta generosè innocentiae defensione, servare incolumes : assistere vel maximē illis indigentibus, atque in periculo vitæ per ægritudinem constitutis, quorum minor obligatio se tangat geret.

Fuere Medicinæ Doctores non pauci, qui frequentius se obtulerunt, & solicitè monuerunt Præsidem, ut quaunque occasione sciret Sodalem, quisquis esset, & tanto promptius, si engentior, infirmari, mitteret continuo;

paratos se fore ad medelam conferendam, absque omni solutione, solo intuitu Marianæ clientelæ, & fraternali charitatis in Consodales. Quodque mirabere: Ad id ipsum charitatis obsequium se se devovere tempore contagiosæ luis hi Medicinæ Doctores, seu verius Alchymistæ, qui tam scientè noverunt artem suam eliquare in pretiosissimū charitatis aurum. Quām verè de his illud: amor non est otiosus: non quærit, quæ sua sunt; operatur magna, si est; nulla amori impervia difficultas: verus amator mori potest, vincī non potest. Quod ipsum encomium jure meritissimo sibi vendicarunt, qui, ut tantur Annales, intrepidè adierunt ad huc quavis, etiam pestiferā, infectos, multosque, vitæ, ac salutis præsidiō destitutos, spē recrearunt, & ope, eleemosynis nempe adjuverunt, & extremis charitatis obsequiis. Hos inter eminuit Sodalis ille, qui, cùm ad prima mali

mali contagiosi indicia se discrimini subducere facile potuisset, in urbe tamen substituit incomparabili sua charitate detentus. Hæc hominem eð impulit, ut integros dies quæ corrogandis eleemosynis, quæ conqui- rendis pauperum cadaveribus pas- sim jacentibus, & ad sepulturam pertrahendis, insumpserit Vespillo verè pius.

Non impari passu horum vestigiis institisse videtur nobilis ille Sodalis Tridentinus, qui, cùm videret mendicabulum nudis incedere pedibus, calceos detractos continuò illi dedit; quem sectatus alter, senem cùm vi- deret sub dio miserè hospitantem, suis humeris tecto intulit, victu, cæteris- que ad vitam necessariis liberalissimè habendum; qui postmodum mortuus, tam bono suo hospiti procul dubio pro- perârit ad præparandum tabernacu- lum æternum. Singularem hac in

parte laudem tulit Plurimum Rever.
Dominus Bartholomæus Lodroni Ec-
clesiæ Cathedralis Rector anno 1719.
mortuus, cuius funus maximâ ho-
minum frequentiâ elatum est. Nam
optimus Senex de urbe universa opti-
mè erat meritus, Sacerdos integerri-
mus, operarius indefessus, Pastor ve-
rè bonus, Pater pauperum, in quos
omnia sua bona erogaverat. Ejus
charitatem ex eo colliges, quod ulti-
mum ægrotanti vix unicus super te-
runtius fuerit, vix naulum morituro.
Certè ità optimum Senem sua in pau-
peres misericordia exspoliaverat, ut
Illustrissimi, & Reverendissimi D. Su-
fraganei expensis, & munificentia
oportuerit funus curari. Ex quo li-
quet, viri charitatem supremum per-
fectionis attigisse apicem: nam, teste
Seneca, *nemo plus tribuit, quam, qui*
sibi nihil reliquum fecit.

Ferunt, S. Joanni Eleemosynario,
cum XV. annum agereret, Miseri-
cordiam

cordiam Divinam manifesta in luce
sponsam se ei obtulisse : venienti ve-
rò post mortem eandem hanc suam
Sponsam à Cœlo obviām processisse,
manūque peramanter prehensum, ad
DEI conspectum deduxisse. Verūm,
an & Tridentino nostro Eleemosyna-
rio Divina hæc Sponsa Misericordia
manifesta in luce se aliquando specta-
bilem obtulerit, nescio : illud scio,
aliam non habuisse, quam ardentiùs
deperierit, quam studiosius coluerit,
quam hanc, in qua ornanda se, suā-
que omnia consumpsit. Evidēm non
ignoro, etiam profanos illos mundi
hujus amatores suas quandoque tam
præpotenter amare Sponsas, ut ea-
rum cultui, ornatuique se, suāque
omnia consecrent, quin & aliena:
spoliantur enim quandoque innumeri,
ut una pretiosius vestiatur: Quo sit,
ut ad incitas redactis, post mortem
vix tantum supersit, quō solvantur
expensæ funeris. Verūm, an his per-
inde

inde hæ Sponsæ post mortem sint obviā processuræ, & deducturæ suos Sponsos ad superos, vel inferos, judicium esto penes Lectorem. Illud mihi indubitatum, nostrum Eleemosynarium, pauperem quidem, & humilem, Cœlum hac duce Sponsâ suisse ingressum, juxta illud Christi: *Beati misericordes; quoniam & ipsi misericordiam consequentur.* Hunc proximè æmulari visus est alter ille Parochus, qui post mortem suam aliam hæreditatem non reliquit, quām cubiculum plenum quā novis, quā expletis jam, & detritis vestibus, calceis, pileis, tibialibus, interulis, in quas & pinguis patrimonii sui, & reddituum facultates ad pauperum solarium piè prodigus insumere erat solitus. Et hic quidem Sodalis noster amore pauperum in vita pauperissimus, jam dives gloriā, ridet scilicet tenaces divites, qui vestiti hic duplicitibus, nudī olim coram Judice cogentur eru-

besce

bescere. Nec hic silentio involvens
Prænobilis ille Sodalis noster, qui,
ut ipse in opum misericordia teneri-
mè tangebatur, ita filiis suis nummos
obtrudebat, quibus pauperes ditarent,
& pulsantibus ad januam mendicis no-
luit eleemosynam porrigi per manus
servorum, sed filiorum, ut ita liberis
suis jam à teneris erga tenuioris for-
tunæ homines commiserationem, at-
que succurrenti promptitudinem for-
tiùs imprimeret. Didicerat nimirum
optimus hic senex, experientia do-
ctus propriâ, omnium optimâ rerum
magistrâ, tutissimum ærarium esse si-
num pauperum; quod his datur, non
donum, sed mutuum esse; nec ullam
mercaturam lucrosiorem posse esse,
quam nummô Cœlum emere.

Verum longè ardentius ad animo-
rum medelam, quam corporum, pro
viribus, & occasione incumbebatur.
Ut à nefario averterentur consilio, qui
sceleris quidpiam meditabantur, ni-
hil

hil intentatum relinquebant Sodalium aliqui, præsertim anno 1630. & 1633. cohortationi preces infimas interponebant; ab his ad sancta Stratagema ta convertebantur: quod si ne ita quidem profecissent, tum demum aper te delinquentibus tacitis precibus, & suspiriis placare Numen connitebantur.

Fuere innumeri, qui ad Confessionem, & morum emendationem per colloquia spiritualia, consilia, monita, omnis ordinis, & ætatis hominibus impensa, bonæ frugis plurimum retulerunt. Alii libros Venerem olen tes exusserunt; moribus perniciosos manibus legentium subtraxerunt; male agentes, aut conversantes, nutu, authoritate, verbis, etiam cum periculo suo, compescuerunt, & revocârunt manifestè ad proposita saniora. Alii dissidia, & rixas domesticas composuerunt; alii in fide, & doctrina, ac moribus instruxerunt errantes &c.

Fuc-

Fuerunt, qui excindendis vitiis linguae, & blasphemis potissimum se se totos dederunt; cuius rei vestigium, & mercedem nonnemo monstrare adhuc poterat, liberalem nempe colaphum, quem ei interpellatus à se blasphemus infregerat. En! quibus distinebantur studiis Mariani hi in Vinearum Domini Operarii: sed quo opere pretio? *Est quæstus planè non modicus,* teste S. Gregorio, *ubi lucrum non pecuniarum, sed acquiritur animarum.*

Sed tenues admodum videri possunt hi Tridenti collecti manipuli, si cum iis conferantur, qui hinc à nobis digressis in vineam Domini per totam Diœcesim tot millenis operariis fœderatis totò sœculō propè quotidiani fuere. Non contenti pondus diei, & æstus ferre, insuper & quietis tempora sibi suffurabantur ipsi, vel subtrahi non inviti patiebantur; ii videlicet, quibus aut zelus, ardorque animi, aut messis amplitudo manum à cibo

cibo retrahebat, oculos à somno reocabat, halitum à pectore, vigorem à membris exsugebat, per aspera quævis, nullo Cœli vultu excepto, inque ipsam mortem persæpè obviām impellebat. Et ne horrere illos mortem hac in causa existimes, lues contagiosa annō 1630. exorta luculenter ostendit: tantum enim abest, ut morte præsentissima dimoveri se paterentur, ut multi ægrorum curam tum primū ardenter depositerent sibi, accessus multiplicarent, assisterent indefessi, innumeri remearent, adeoque plurimæ charitatis victimæ in ea opere cecidierint.

Verūm non tantūm Sacerdotum, sed & sæcularium Sodalium charitas iis afflictissimis temporibus mirabiliter effulsit, quam Congregationis Commentarii his verbis describunt: Tempore luis grassantis Sodalis aliquis in patria sua, cùm multos intellexisset sine ullo præsidio in sylvis emori-

ri, ad illos excurrit, solatus est, & ad mortem piè obeundam juvit, nullo contagionis habito respectu. Alius tempore pestis ad omnes infectos se contulit, eosque desperabundos, & Sacerdote destitutos erexit, ad mortem animavit, stipe juvit, sepeliri curavit, precésque fudit singulariter pro iis, qui absque spiritualibus armis decederent. Alius morientes pueros fiduci rudimenta docuit: alius integras noctes ægrorum lectulis assidebat, ut alloquio suo, & ope recrearet, & sublevaret. Cogitatu proin facilius, quam calamō comprehendes, quid grandis emolumenti, quos collectos manipulos in horrea Domini importaverint isti duce ignita sua charitate. Ignis ubicunque est, luce, & calore se prodit, prodesse petit omnibus, se ultrò offert; imago est nostrorum Sodalium, qui ubicunque agerent, exempli primū luce, tum doctrinæ sanctioris calore innotuerunt.

Innumeri alii, quibus alia proximum juvandi facultas deerat, optimò vitæ suæ exemplò studebant pro viribus omnibus prodesse, omnes ad virtutis incitare sequelam. Optima sanè ratio juvandi proximum! Certius finem obtinet, qui aptè ad persuadendum facit, quām qui dicit; muti hi Oratores eloquentibus præstant: hi ore, manu illi perorant; ideo facilius trahunt in sequelam.

C A P U T VI.

Sexta Marianæ Coronæ Stellæ, Castitas.

QUAM illustre Marianæ Coronæ ornamentum est Castitas! *Divina res*, & quæ proximum facit esse DEO. Sap. 6. Non ignoremus, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, *Castitatis gloriam: Angelica enim est Corona, & supra homines hæc perfectio. Parcamus corporibus, quæ lucere debent,* *ficut*

sicut sol. Nec immeritò Soli eos, qui honorabile Conjugium amplexi sunt, atque conservârunt, comparare licet: maximè cùm D. Paulus calculum suum addat, & dicat: *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum.* 1. Cor. 15.

Hæc virtus, quæ Sodales cumprimit decet, utpote qui Virginis Virginum peculiares Clientes sunt, quantopere hōc Marianō Sæculō in Tridentino nostro Sodalitio enituerit, sat Congregationis testantur Acta. Commemorantur siquidem, qui annulum literis *Ave MARIA* inscriptum, quose se Virgini desponderunt, ad corporis lasciviam compescendam circumtulere, eō emolumentō, ut ab eo tempore ardorem libidinis omnem restinctum senserint, quasi sinè corpore vitam degerent. Jaspidi ferunt, eam vim inesse, ut pudicitiæ florem in vigore conservet: Horum Jaspis erat

MA-

MARIA Virgo, cuius virtus nunquam hebescit.

Fuere non pauci, qui, Patronæ suæ icone ad collum suspenſa, nefaria Cupidinis tela, tanquam imperviâ loricâ, repulere. Compendium viatoris habuit ille Sodalis Tridentinus anno 1630. qui, quoties motibus solicitabatur in honestis, cogitationes nefarias cogitando Sodalis nomen excusſit. Quem secutus ille, qui ad impuræ mentis illecebram in similia ad Beatam Virginem verba erumpēbat: *Juravi, inquiebat, ô Beatissima Virgo, me nunquam te derelicturum; quomodo igitur istud ausim facinus? Sic animo imperare didicerat.*

Cum ad lapsum detortus male Intellectus, & pervicax Voluntas stimularet, configere complures ad Orationis, & Meditationum, præcipue de Passione Domini, ac Novissimorum, præsidia. Non defuerunt, qui, ut castius viverent, quotidie D^rO vir-

virginitatem devoverunt. Alii ad Matrem purissimæ virtutis genibus, aut toto corpore affusi, sensere, Virginis beneficium, Aquinatis Angelici impostoram æmulam incorruptionem. Fuit, qui ad flagitium solicitatus, cum telum ad manum non haberet, quo se tueretur, Crucifixi effigiem objecit, ac tantopere propudiosam Castimonieæ oppugnatricem perterrefecit, ut fugam fecerit, quasi si *lupa* flammam vidisset.

Plurimum quoquè mortificatio contulit, magnis animis suscepta : & quamvis more grandinis teneritudini adolescentiae cæteroquin sit inimica, ad Castimonieæ tamen munimen, si quid aliud, egregiè fuit opportuna. Fuit, qui, ut edomaret corporis ad illicita petulantiam, aliquot menses, etiam hieme sæviente, humili, aut superdurum asserem somnum cepit. Alias ad eundem finem ex meritis urticis letulum sibi construxerat, cui tribus

indormiit noctibus , suavissimô utique Castitati thalamô. Alius insidi- antem Castitati suæ Cupidinem cùm sentiret , urticis in tergum suum de- sœviit : & ecce ! fugit ille , & dum flagra timuit , pœrum scilicet se probavit esse. Fuit , qui impuris vexatus cogitationibus , linguam suam , & manum non priùs mordere destitit , quâm illas animô pelleret. Quodsi ne hac quidem ratione statim votis potiretur , coronam è spinis compo- sitam , non sinè ingenti dolore capiti imposuit. An non istis aurea illa Chrysostomi verba accines ? *Vos estis , qui secundum nobilitatem generis , flo- res estis Ecclesiae , qui virore pudicitiae , & splendore castæ dilectionis , sponso ser- ta componitis ; & coronam spineam mu- ratis quotidie in gloriam triumphantis.*

Pleni ingeniosis ejusmodi aliis sui affligendi artibus , à Sodalibus Tri- dentinî usurpati , sunt Annales. In- ter quos memorandus venit Sodalis ille,

ille, qui Nicetæ æmulus, cùm titillationem fœdæ libidinis ad moveri sibi persenticeret, linguae morsu sanguinem, dolorémque elicuit, voluptati compescendæ. Alius, ne tentati pudoris jacturam faceret, nudam manum per sentes, & spinas acutas traxit, usque dum crux largum elicceret. Alius, ut æstum libidinis extingueret, urticis nudum pectus accedit. Adeò volenti nihil difficile adversus quæque; adeò omnia prompta, modò animum virtutibus applices. Fuit, qui molestos carnis stimulos admota flammæ manu coercere non dubitavit, eâ quidem constantiâ, ut diu vulnus, Christianæ fortitudinis monumentum, gloriosus pugil circumtulerit. Eundem iunctati sunt alii, qui impuras flamas flammis pariter extincturi, eò usque candelæ ardenti imposuere digitum, dum molesta temptatione se liberos senserint. In magnis malis nulla nimia est diligen-

tia, & hostibus potentibus magna
præsidia opponenda sunt.

Præterea Castitatis donum mode-
stia oculorum severissima tuetur. Hinc
ingeniosè nonnemo pinxit lucernam
intra laternam, cum lemmate: *tu-
tum, quia te ipsum.* Est siquidem Vir-
ginitas vitrō debilior: vitrum non
frangitur, nisi tangatur: virginitas
autem solo visu concupiscentiæ lædi-
tur. Extitère, qui oculos suos ab in-
cauto, vel omni omnino fœminarum
aspectu tenebant remotissimos. An-
nō 1648. ad ingressum Reginæ Hi-
spaniarum in urbem Tridentinam,
cūm Sodalis aliquis commodè posset,
& alii hortarentur, ut Reginam intue-
retur, adduci nunquam potuit. Fue-
runt, qui studiosè certas plateas devi-
tarunt, & longiores quæsiérunt vias,
ne ob viam comptiores Nymphas ha-
berent. Duo propositum nunquam
mulieris vultum aspiciendi tam fideli-
ter servarunt, ut toto tempore vaca-
tionum

tionum in matrum faciem oculos con-
jicere sint veriti. Alter obstupe-
scendâ continentia, dum vixit, in nul-
lius fœminæ faciem volens oculos in-
tendit. Videntur mihi isti imitari
voluisse S. Luciam, quam amator
quispiam ambiverat. Rogatus hic,
quid in ea sibi maximè placeret? Cùm
respondisset, *oculi*: illa eruit, & mi-
sit. Placuerunt procul dubio & MA-
RIÆ casti hi Sodalium oculi eruti, non
crudeli ferro, sed deliberato mentis
consilio nîl aspiciendi, quod casti-
moniæ posset esse scandalum: quod Chri-
stus voluit, quando dixit; *si oculus
tuus scandalizat te, erue eum, & pro-
jice eum abs te.* Matth. 18. Fuit,
qui ancillæ obsecna proferenti excus-
sâ palmâ sonantem infregit colaphum,
cui si ruborem non incuteret pudor,
saltèm excuteret plaga. Fuit, qui à
prava societate in ædes pertractus,
ubi suæ innocentiae paratæ stabant in-
sidiae, ex solario in subjectum hortum

toto corpore se se præcipitem dedit,
relictō in manibus nocentūm pileō,
& palliō. Non solus timor addidit
alas, sed & Castitas, quæ cùm subli-
mem mentem evehat, corpori quo-
que pondus detrahit, & cælestē facit.
Quidam epistolam venientem è pa-
tria, nondum reclusam abjecit, ne
quid afferret vanæ ab affinium aliqua
insertæ salutationis. Quām pruden-
ter hæc omnia! Timor hic custos est
salutis, servator probitatis, tutor in-
nocentiæ. Audi, quid Poëta.

*Per fretum Scyllæ, dubiásque Syrtes
Fide fallaci, fugitive, vento:
Fide, quantumvis fremat unda, sed ne
Fide puellæ.*

*Fœminæ certum sinus est feretrum:
Funis amplexus, tumulus cubile,
Hujus imprimis oculos caveto.*

Hinc suêre, qui Sacerdotiō initiati,
& ad curas animarum translati, do-
mō

mō suā omnes omnino mulieres proscriperunt, quæ, si apud omnes exularent, ab exilio castitas sēpiùs rediret.

Quare alii non solum vultum à prætereuntibus fœminis averterunt, sed etiam cruce pectus, tanquam adversus larvam occursantem muniērunt. Fuere, qui, ne illicita cogitandi per phantasmata præberetur ansa, imagines minus castō penicillō efformatas Vulcano consecrârunt. Alii etiam ejusmodi literas igni tradidere, qui amore arserunt Virgineo. Phidiæ sculptoris solerterem prudentiam indicat illud, quod Palladis simulacris draconem, vigilantiæ symbolum, apponere fuerit solitus. Etiam casti per vigili curâ indigent, ut pudor servetur illibatus. DEUS posuit in firmamento Virginem inter Libram, & Leonem, ut hinc temperantiâ, inde fortitudine se se munire discerent castæ animæ; quod, cùm abundè præ-

stiterint Tridentini hi hoc in agone
luctatores, quid illis repositum erit,
quàm corona? Virginitas majori est
ornamento homini, quàm diadema re-
gibus, aut aurea vestimenta. Hæc
si perditur, perditur irrecuperabile bo-
num. Poteris siquidem pœnitentiâ
misericordiam consequi; non autem
coronam assequi Virginalem: neque
illud cantare canticum, quod solùm
centum quadraginta quatuor millibus
coram Agno cantare conceditur.

C A P U T VII.

Septimum Marianæ Coronæ Sidus, Oratio.

ERuditissimus Stengelius diurnis,
nocturnisque horis contempla-
tus in Partheniis Sodalitiis effulgens.
illud Sidus omnium temporum, MA-
RIAM, sic exclamabat: *Quæ est ista,*
quæ Cantic. 6. progreditur ut Luna,
electa ut Sol, terribilis ut castrorum
acies

acies ordinata? & unō verbō, decora
sicut Jerusalem. Sic illa à Sodalibus
cultā progreditur, & manē, cùm Sa-
crificium Missæ audiunt, quasi Auro-
ra consurgens; & Vespere, cùm con-
scientiæ examine animarum nostrarum
noctem illuminat, tenebrásque discutit,
Pulchra ut Luna; & meridie, cùm
eatus frequentantur ad audiendos Ser-
mones pios, Electa ut Sol; & domi,
cùm inter parietes laudatur; Decora
sicut Jerusalem; & foris, quando
diurnis, nocturnisque processionibus ejus
nomine institutis per plateas, & Tem-
pla decantatur, Terribilis ut castro-
rum acies ordinata. Quæ quidem
devotionis, & orationis studia quan-
topere in Sodalicio nostro effluerint,
sat Annales contestantur his verbis:
Anno 1630. Sodales, licet pauci nu-
,, merò essent ob exhaustam peste Ci-
,, vitatem, convenire tamen fre-
,, quentissimi ad Coetus, & per ali-
,, quot septimanas in Oratorio suo

„ diebus festivis recitârunt Psalmos
„ Pœnitentiales, additis Litanîis ad
„ avertenda pericula belli Germani-
„ ci impendentia : Sed & privatim
„ quivis Divinam Justitiam placare
„ studuit. Auctò dein Sodalium nu-
„ merô instituta est nomine Sodali-
„ tatis unius horæ coram exposito
„ DEO Eucharistico comprecatio,
„ magno confluxu totius Civitatis,
„ & cantatus est Psalmus *Miserere*,
„ & Exhortatio habita. Accessere
„ ad hanc Sodales ritu supplicantium,
„ duravitque devotio hæc per aliquot
„ Septimanias : ipsi tamen Sodales e-
„ tiam ad alias Divorum Ecclesias,
„ intra, & extra urbem sitas, suppli-
„ cabundo agmine se contulere, & Sa-
„ cra ubique cantari curavere. Ità An-
„ nuæ : quibus innuere velle videntur,
„ singularem quandam sui Sodalitii præ-
„ rogativam : cùm enim contagiosa
„ lues, ut vitæ humanæ, sic & chori,
„ & fori consuetum cursum vel inter-

rumpat, vel corrumpat, & unà cum corporibus devotionem quoquè tumulo non raro inferat, sepeliatque, Tridentinorum Sodalium ope, industriâ, ac exemplô iterum eam fuisse instauratam, &, velut post nubila Phæbum, antiquum illum, publicumque comprecationum, supplicatio- nūmque ritum postliminio apparuisse, resloruisséque, iis postmodum incrementis continuatum Tridenti, ut haec in parte Civitatem nostram, qui rem coram inspexerit, fateatur, necesse sit, paucis palmam concedere.

Verum Sodalium nostrorum orandi studium nunquam luculentius apparuit totò sacerulō, quam ultimō Bacchanaliorum triduō; quo tempore alias à malè feriatis Christianis suæ orationi videntur indictæ feriæ. Cùm Societas nondum Templum proprium haberet, quadraginta horarum coram Numinе Eucharistico solenniter exposito comprecationem sibi interim

propriam voluit Congregatio nostra,
& etiamnum ejus liberalissimā munificentiā, & sumptibus, copiosis cereis illustrantur Aræ, perstrepunt organa, insonat musica. Voluit nimirum pro insigni in Superos cultu, cùm auctorata illa mundo, Bacchóque militia in popinis, theatris, lusibus, saltibus sua decoquit patrimonia, temporis hilaritatem in Templum transferre, & ad sanctiorem solennitatem, suo ære, ac operâ ad omnem elegantiā exornatam. Porrò invitantur à Congregatione, qui singulis diebus ad Aram principem solenniter operentur, prima Sodalitii Capita, Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Canonici, quos inter etiam, qui ad Aram facerent, Celsissimi nostri Principes, & Episcopi semper comparuerunt. Indicitur etiam in singulas horas Sodalibus Ordo comprecationis, ad quam miranda sanè sedulitate, ac frequentiā se le stitēre. Vidisses aliquos

quos, qui duas, vel tres, vel etiam quatuor horas immotis uno situ persisterent genibus innixi super nuda humo. Imo anno 1640. memorantur exstisset non studiosi tantum, sed etiam primae dignitatis Viri (nomina singulorum, praesertim Illustrium, & Nobilium, saepissime in Annalibus longo ordine legere est) qui ferè totam diem coram Venerabili transgerunt; nec alias, nisi Cœlestes delicias gustare voluerunt. Et has suas stationes bene longas exegerunt non una solum die, sed totò triduo, excubabantque coram Numine Eucharistico indefessi, verius procumbebant, non somno prostrati, vel ignaviâ, sed profundissimâ Numinis dejecti reverentiâ. Fuere etiam Illustriores Domini Sodales, qui æditui vices hoc triduo subire, candelas accendere, aras exornare, pulsu campanarum ad horam comprecationis convocare Sodales voluerent. Nec illud silentio in-

volvendum, quod Acta ad annum
1640. perhibent, suisse omnis ordi-
nis, & ætatis Sodales, qui summo
jam manè, & horâ quartâ, quando
Venerabile exponebatur, frequentif-
simi aderant, eo ardore animi com-
precationem auspicati, ut, quantum
procul spectantibus evulgabat facies
incensa, jurâsses, quidquid telorum
amor in pharetra repositum habet,
primo statim congressu depromptum,
horis secuturis nîl reliquum facturum:
licet idem fervor eodem tenore in se-
rum usque Vesperum se se exorrige-
ret. An non horum exemplum, &
vigilantia alicui ignavo Sodali, vi-
no, somnoque inter plumas sepulto,
videtur illud exprobare? *Ubi eras,*
cum me laudarent simul astra matuti-
na, & jubilarent omnes filii DEI?
Job. 38. *Ubi?* In lecto, cum alii in
Oratorio. *Ubi?* sub anserina pluma,
cum alii sub Angelorum custodia.
Illi DEUM eo tempore laudabant,

quane

quando de laudibus DEI nihil cogitabas. Illi astrum matutinum, & Phosphorus, tu Sidus erraticum, & Hesperus: illi DEO jubilabant, tu tibi indulgebas: illi filii DEI, tu amicus Morphei. Illi, velut *stella*, dederunt lumen fidei *in custodiis suis*, & *latae sunt*, cælestibus grotiis afflatae.

Sed forsitan hoc in genere nîl magnificentiùs molita est Congregatio nostra, ac quando anno 1711. Divi Francisci Xaverii honoribus recens extorta Basilica solenni ritu consecrata est. Cùm enim, dum, veteri destructâ, nova fabrica surgeret, Major Congregatio Oratorium suum benniò ferè Civibus aperuisset, & in Ara sua DEUM Eucharisticum adorandum proposuisset, suum esse putabat, tantum Hospitem non sinè grata animi significazione dimittere. Hinc supplicationem 20. Aprilis instituit ab equitatu, ferculorum, & curruum triumphalium apparatu splendidissi-

mam. Numen Eucharisticum è Matrano Oratorio elatum comitati sunt Sodales omnes : supplicationem ornârunt Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Canonici, eminuitque, ut dignitate, ita pietate Celsissimus, & Reverendissimus Princeps, & Episcopus, cuius potentissimum exemplum traxit totum Venerabilem Clerum, qui linteatus ex omnibus Urbis Paræciis, Divinum ferculum, quod ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Comite, & Canonico Antonio de Wolckenstain, nunc Principe, gestabatur, præcessit. Sequebatur tota Nobilitas, quæ auro, argentoque coruscante vestitu pompam hanc magnopere illustravit. Agmen longissimum, pulcherrimumque immensum auxere cives reliqui, atque ex remotis etiam locis Italæ, Germaniæque, Veronâ, Balsano, Rorboreto, &c. ad solennitatem quæ ornandam, quæ spectandam affluentem com-

complures sanguine illustres personæ,
ut reliquam populi undique accurren-
tem taceamus turbam. Ità deducta
in sacro triumpho novæ Legis Divi-
nissima Arca per primarios Urbis vi-
cos in Templum tandem illata est,
ubi mox à Celsissimo, & Reverendis-
simo Principe, & Episcopo, nec non
aliis Illustrissimis, & Reverendissi-
mis Canonicis, & Hospitibus Eucha-
risticum D E O oblatum est Sacrifi-
cium.

Quid jam de privato orandi studio
commemorem? Innumeri reperti
sunt, qui juxta Marianarum Legum
præscriptum orientem diem oratione
inchoârunt, & eâdem clauerunt oc-
cidentem, non ignari, omnia totius
diei opera bene successura, si princi-
pium diei bonum sit, augerique vir-
tutum merita de die in diem, si ma-
tinina quoque oratio, & intentio re-
liquis actionibus pretium faciat. Ma-
ximum certè in hac Cœlesti panoplia

pondus meritò reponebant. Eam Studiis accuratè , aliisque negotiis præmittebant , & , siquidem in malevolam animam non intrat sapientia, conabantur frequentius elicitis contritionis actibus, & repetitis actuum fidei, spei, & charitatis motibus disponere se ad Spiritus Divinissimi operationes intelligentiæ capiendas. Id ipsum actitârunt Viri gravissimi, ac prima Urbis Capita , qui in bonis suis operibus olim humillimè oblatis , frequenter contestati sunt , se nullum in republica majoris momenti negotium suscepisse, quin prius illud enixissimis precibus DEO commendârint , obtulerintque. Quàm sapienter hæc omnia! Multi profectò sunt auctores operis imperfecti ; quia , Cœlo multi non consulto, telam ordiuntur : non speret bonum negotiorum finem, nisi à primo ea principio quis incipiat.

Cavebat etiam literata juventus lectiones frequentare, nec prius DEUM ad

ad Aras per decursum à domo salutare, transire pium locum, aut Iconem sacram, nec reverente cordis affectu, aut capite nudato alloqui: audire horam, nec oratione jaculatoria mentis ascendere ad DEUM. Fuêre, qui nocte concubia surrexerunt de lecto, postquam recordati sunt, se Marianâ sui pensi eo die fuisse oblitos. In id quoquè contulère operam suam plurimi, ut orationis studium ubique effloresceret, & domesticis instillata orandi methodo, orantes sedulò præirent, & solicite comitarentur, præfertim in pertexenda quotidie Magnæ Matris honoribus Corollâ Mariannâ, non ignari illorum verborum Sancti Bonaventuræ: *ipsa nos libenter salutat beneficio, & consolatione, si nos eam frequenter salutamus servitio, & oratione; libenter nos salutat cum gratia, si libenter eam salutamus cum Ave Maria.*

Et hæc quidem assidua orandi contentio, quam grata Deiparæ acciderit, sat luculento illa beneficio haud ita pridem ostendit ; Nam anno 1705. Sodalem quendam, nobili ortum stirpe, Horæ Majores in ejusdem Magnæ Virginis honorem quotidie recitatæ tamdiu creduntur, ut Annales nostri perhibent, in vita servâsse, donec omnia sacra morti Christianæ præmittenda ritè perceperisset. Cùm enim fistulâ ferreâ contra volucres armatus in campum prodiret, & incautius eam tractaret, infidum instrumentum extemplo solvitur, ac juvenem miserè trajicit. Mirum erat, quod non sub ipsum confessim ictum extingueretur : siquidem prope cor vulnus aperiebatur, & ferale plumbum in interiora adactum per os hominis eructandum fuit. Sed Maria- na devotio cum morte quodammodo inducias pacta est, donec floren- tissimus adolescens sacris omnibus mu- nire-

niretur; quō factō, mortem tam sānctē obiit, ut pietatis odore, ac sui encomio totam urbem impleret.

Neque hīc aliud longē luculentius Beatæ Virginis beneficium silendum censeo. Perlatus erat anno 1634. Tridentum auspiciatissimus Nuntius de Victoria Norlingana à Cæsareanis relatā. Quid ad hæc nova noster Magistratus Marianus? illico Sodales convocantur omnes, supplicabundum instruitur agmen, in montem Lastensem ascenditur, ubi coram Thaumaturga Virginis effigie solennissimè inter processos, & cordis jubila decantatur Hymnus Ambrosianus. Verūm, quid hæc publica urbis functio ad privatum Sodalitium? Cur omnibus communem lætandi materiam sibi faciunt tam particularem Sodales? Causam edisseram. Fuerat illa victoria reportata contra Heterodoxos, intentissimos MARIAE hostes. Fuerat illa obtenta singulari Virginis ope, adeoque

parta maximâ Mariano Nominis gloriâ. Hinc non poterant genuini filii ad hoc nuntium gaudiô subsilire, festa signa edere, & Matri suæ gratulari tot fusos hostes, tot relata trophyæ, tam uberem partam gloriæ messem. Magna amoris vis est: ut in rem amatam transformat amantem, sic & affectus. Si amato malè sit, non potes non dolere; si bene, non potes non gaudere. Facilius in sinu ignem teges, quin se prodat, quam amorem.

C A P U T VIII. Octavum Marianæ Coronæ Sidus, Meditatio.

Domantur leones, mitescunt tigrides, ferrum flectitur; nulla vis est, quæ domare hominem possit. Ars in hoc, & natura deficit. Meditationi hæc debetur gloria, quod sit animorum Domina; sola hos,

quod

quò vult, inflectit. Ut à rudi, ac informi gleba, fornaci injectâ, purissimum effluit aurum, ut è terrea mole ignis beneficiô crystallus excoquitur, sic terrenus, & animalis homo, per orationem depuratus, in alium commutatur, eumque Cœlestem, novis virtutum splendoribus sideris instar radiantem, longè veriore metamorphosi, ac olim male feriata Poëtarum ingenia suos Heroës fatis functos astris inseruere. Quâ quidem in orandi methodo, si qua alia in re, insigniter eminuerunt Sodales nostri, ut plurimorum annorum Acta Congregationis testantur.

Fuêre prioribus annis, præsertim anno 1636. Tridenti Sodales, qui se ita orationi mentali assuefecerunt, ut à multis annis binas quotidie in oratione mentali horas posuerint. Hinc & Præsides non raro exhortationis loco meditationem instituere, ut utilissimam hanc orandi methodum magis

in praxin deducerent. Certè semel
annô integrô fuêre habitæ ejusmodi
piæ commentationes de arbore bona,
& mala. Quos verò hæc fructus pro-
tulerit, testimonio est nobilis ille So-
dalis Tridentinus, corporis formâ præ-
cæteris eximius, qui, cùm se his na-
turæ dotibus efferri, ac acribus iden-
tidem vanitatis stimulis urgeri per-
sentisceret, ut malo medicinam para-
ret, in Ossuarium in Divi Petri Cœ-
meterio sitam cryptam descendit, &
uno, altero ve mense singulis diebus
exesis calvariis, atque ossibus oscula
imprimens, mortaliúmque caducam
pulchritudinem meditans, illud sibi
occinebat: quid superbis pulvis, &
cinis? En in hac crypta aliquando ja-
cebunt illæ genæ tuæ purpurâ pi-
ctæ, illa cervix nivis æmula, illæ
manus ebore tornatæ. En! caput
hoc tuum, aliquando capillis vidu-
um, in depilem, & deformem calva-
riam mutabitur? Hæc frontis lumina
in

in mæstam mortem deficient. Hæc oculorum tuorum crystallus in vacuam cavitatem dehiscet. Hæc malorum, & labiorum corallia in luridum pallorem desinent. Collum hoc eburneum ad ossa usque depascetur. Hæ manus, hi pedes, hæc totius corporis venustas, ab artifice natura elaborata, in catharma, morticinum, repentium, & serpentium stabulum convertentur. Et quando? Incertus est vitæ exitus, mortis terminus; & lubeat lascivire, lubeat superbire? Hæc, & similia cum identidem sibi exprobraret, ut lumen, rupta nube fulgurans, momento abstergit tenebras, & multa detegit: sic Divinæ illustrationis radius, Cœlo affusus, pulsa caligine, tantum lumen ejus menti affudit, ut, detecta rerum omnium vanitate, ab iis, quæ prius summo erant in pretio, & amore, velaementer cæperit abhorrere. Phænicem Croderes ex his mortuorum cineribus

prodiisse. Non ignoro , fuisse alibi Sodalem , qui , ne novissimorum memoria mente excideret , hæc duo verba , *mors & judicium* , pelli suæ scalpellō insculpsérat. Hujus consilium censeo ego demirandum , Tridentinum imitandum. Est enim & sermo DEI , *penetrabilior omni gladio ancipiti* , & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus , præsertim si iugi meditatione profundè in animum inseratur , ut mundo mortuus Cœlo vivas.

Ut jam de iis nihil dicam , quorum singulis annis magnus est numerus , qui auram mundi declinantes , se in domūs abdita recludunt , ut extra orbem positi , Cœlestia contemplantur , duce , & auspice S. Ignatio Loyola in rerum Divinarum contemplatione per plures , ac continuos dies se piè , utiliterque exercentes. Aggressi sunt hoc opus è Sodalibus nostris quam plurimi ; Sed dic , quō animō regressi ?

gressi ? Nescio id quidem ; si fas est credere, quæ tot vocibus contestati sunt ipsi, nunquam dies viderunt meliores, purioribus deliciis innatârunt nunquam, nunquam non nisi amoris extasim pati, & fixissimis osculis inhærere illi, cujus non habet tedium, nec amaritudinem conversatio. Et sanè hæc sacra Exercitia quanti non fecerunt Tridentini Principes, & Episcopi ! qui tum pro privato suo in Divina affectu, tum pro Pastorali sua cura, ut Clerus existeret omni virtutum genere quàm florentissimus, in hac sua Diœcesi ob Tridentinum, & Oœcumenicum Concilium in ea habitum per orbem Christianum longè celebratissimâ, indispensabili lege sanxerunt, ne quisquam deinceps sacris initiaretur Ordinibus, nî prius Ignatiana ascensi integrô octiduō animum suum excoluisset : dignissimô sanè exemplô, quod reliquæ Diœceses imitarentur omnes.

Et hac quidem in parte præclarissimè se gessere anno 1711. & 1712. Sodales nostri , tum Logices , tum Theologiæ moralis studiosi , qui in duas divisi turmas ausi sunt mundi avarum declinare , & extra orbem ire viâ asceseos S. Ignatii. Rem , prout gesta est , paulò pluribus placet enarrare. Paratum stabat cubiculum ad latus Altaris majoris Sancti Francisci Xaverii , ante cujus fores pendebant tapetes nigri cum picta superiùs calvaria , addita conveniente epigraphe. Ejusdem quoque coloris tapetibus obductæ fenestræ diem excludebant , ut eō major existeret illuminatio mentis. In medio erecta stabat Crucifixi imago , & mensula nigrō pannō instrata : ante illam alia imago Crucifixi in terra supra pulvinar , & nigrum tapetem inclinata , quam omnes in ingressu , genuflexi adorare , & oculosculari erant soliti , ac quinque proposita renovare , quæ in tabula descripta pendebant ad janu-

januam, modestiam, animique attentionem, ac seriam applicationem suggestentia. Ad dextrum cubiculi latus considerabat Pater Director, ad sinistrum ejus adjutor, cui signum dare ad functiones singulas, distribuere schedas pro meditatione, libros dividere, prælegere aliquid ex Thoma Kempensi, vel alio pio libello ex officio incumbebat. Scamna pro Exercitantibus ita erant disposita, ut locus superesset, in quo opera pænitentiæ quivis obire sat commodè posset; imò etiam flagellis in semet animadvertere, quin ab ullo notari posset.

Ordinem diurnum sibi præfixerant sequentem. Præmissa pridie, quam inciperent, meditatione præparatoria, & exhortatione, quam omnium animi inflammabantur, altero manè circa medium quintam convenerunt in Choro Sancti Joannis Nepomuceni, ubi, precibus matutinis juxta Leges Marianas persolutis, tertio quadrante an-

te quintam explicabatur meditatio ,
quæ horâ quintâ subsecuta est, Patre
Directore alta voce identidem moti-
va, lumina , ac affectus suggestente.
Nemo habebat lumen præter Direc-
torem, quod tamen cæcum erat, ut
proin nec ipse videri, nec Exercitan-
tes in se invicem oculos intendere
potuerint. Sub finem meditationis
à Directore in terram prostrato ante
Crucifixi imaginem humi jacentem ,
instituebatur colloquium. Interim
accendebantur candelæ , ut quilibet
posset meditationis fructus annotare.
Post quadrantem horæ legebatur ca-
put ex Thoma Kempensi, obibantque
singuli aliquod opus pænitentiae, quod
vel ipsi petierunt à Directore, vel sor-
te etiam ex urna extraxerant. Sub-
juncta lectio , & præparatio ad Sa-
cram, quod dictum est in Ara S. Jo-
annis Nepomuceni. SS. Sacrificium
Missæ sequebatur examen statûs, ex-
amen Legum Marianarum &c. Ite-
rum

rum explicata meditatio , eaque me-
diâ nonâ cœpta , mediâ decimâ fini-
ta : Dein fructuum annotatio , lectio
Thomæ à Kempis. Horâ 10. ora-
tio in Choro juxta primum orandi mo-
dum. Mediâ undecimâ omnes do-
mum dimissi ad prandium ; quô fini-
tô iterum comparuere , & instituta
conferentia spiritualis cum Patre Di-
rectore , qui quæstiones proposuit asce-
ticas , aut ab Exercitantibus motas
resolvit : Qui verò Patrem suum spi-
ritualem consulere volebant , iis usque
ad duodecimam id permisum , imò
suasum omnibus , ut hunc accederent ,
rationem conscientiæ suæ reddituri
&c. Horâ duodecimâ omnes ado-
rârunt DEUM Eucharisticum , sub-
junctâque brevi lectione ex Vita ali-
cujus Sancti , datum aliquod tempus
conscribendi fructus meditationum ,
annotandi necessaria pro Confessione
generali. Dein consideratio : recita-
tio Vesperarum & Completorii in

Choro. Repetitio duarum meditatio-
num. Lectio Ascetica. Mediâ quin-
tâ meditatio per horam, reflexio, an-
notatio fructuum, solita lectio ex Tho-
ma Kempensi. Horâ sextâ explicati-
o meditationis pro die sequenti. Vi-
sitatio Venerabilis Sacramenti. Me-
diâ septimâ omnes dimissi, instructi
monitis, & libellis ad parandum Con-
fessionem generalem. Domi recita-
tum Matutinum, & Laudes ex Offi-
cio Beatæ Virginis &c.

Quantus verò fervor, ardóque
Exercitantium extiterit, sat verbis
explicari non potest. Sæpè Director
in suis ad Crucifixum colloquiis ob la-
crymas, singultus, & ejulatus pro-
gredi vix potuit. Modestia domi, &
per plateas tanta, ut omnium in se-
se oculos converterint, fuerintque do-
mesticis admirationi. Multis etiam
solicitudo injecta, ne fortè juvenes
jejuniis, pænitentiaque operibus sa-
nitati nocumentum afferrent, ut proin-

Dir-

Directorem accesserint, & quid domi ab Exercitantibns ageretur, edocuerint. Fuêre, qui tribus diebus solo pane, & aquâ contenti vixerunt. Stratum multorum erat nudum pavimentum, Cœlô licet perquam frigidô. Nemo ex omnibus repertus est, qui non tantum opus poenitentiae, quod sorte post quamlibet meditacionem extraxerat, promptissimè obiret, sed qui majora non expeteret semper. Semel quovis die quilibet ferreis flagellis, aut funiculis, quos ferè ob doloris levitatem respuebant, in se piè sæviebant, jussique à Directore desistere, lacrymantibus sæpè oculis veniam amplius in se animadvertisendi expetierunt. Jussi deprecati scandala sociis data, non tantum prostrati ante pedes Sodalium præsentium, sed etiam reliquorum studiorum, & domesticorum veniam cum lacrymis postulârunt. Attulerunt aliqui in charta defectus publicos in se

notatos, & confusionis studiō alta voce prælegerunt : addiderunt alii in charta peccata occulta , ea publicè evulgare parati , nî à cæpto desistere jussi fuissent : enixè tamen , Christi Crucifixi , quem manibus tenebant , interposito nomine , Sodales etiam , atque etiam obtestabantur , ac jure quodam suo postulabant , ut , si fortè in pristinos errores relabi eos contingeret , severos censores , atque accusatores agere ne gravarentur . Inter hæc in gemitus , & suspiria prorumpabant , enixissimè rogantes , ut socii sibi veniam , Deique Misericordiam propitiā exorarent . Non poterant instrumenta Pœnitentiæ sufficiētia inveniri : proin catenas oblongas , funes , alijsque ingeniosa mortificatiōnis inventa attulerunt . Sub Sacro multi expansis orabant brachiis , alii funibus constrictum corpus , & manus , pedes compedibus ferreis vinctos exhibebant . Sæpè totum currīto: ium ,

torium, quod inter cubiculum, & Chorum interjacet, implebant Pænitentes, in terram toto corpore effusi, ut transeuntes super prostratos ad Chorum eluctari oportuerit. Addebat ex Psalmis apposita suspiria, quibus omnium se pedibus conculcari dignos, & indignos esse clamabant, qui Cœlum aspicerent. Semel, cùm in subiecto Templo Venerabile esset expositum, populūisque adesserit frequens, invitati, ut ad satisfaciendum pro scandalo in Templis dato, reparandōque Numinis Eucharistici honore, quem sæpius irreverentiis lædi contingit, in habitu Pœnitentiæ Sacro interessent; annuerunt mox omnes: sed hoc solum permisum, ut corollam precatoriā, & imaginem Crucifixi erexitis tenentes manibus post Sacerdotem exirent, & profundissimâ reverentiâ DEUM adorarent Eucharistiū. Porro generali Exomologesi conscientiæ suæ maculas eluerant om-

nes, stupentibus Confessariis vehementiam, & lahrymarum copiam.

Nec fervorem hunc fuisse tantum paucorum dierum sat ostendit constans perseverantia in frequentatione Sacramentorum per totius anni decursum: Sat declaravit illa accuratissima Marianarum Legum custodia, modestia in Templis, reverentia erga superiores. Certè Gymnasii, Scholarumq; Moderatores totò anno nec minimam habuere contra hos omnes querelam. Sat etiam patuit ex jugi ad pietatis hæc exercitia amore, quando anno sequenti non tantum ipsi eodem fervore ad eadem redierunt, sed tot alios ex urbe attraxerunt, ut cubiculum capiendis non sufficerit, debuerintque dividi in tres turmas. Uni ex Studiosis Theologiæ Moralis ex oppido Povo dicto, summo manè descendendum, & nocte obscura ascendendum erat per vias præcipites, & multa glacie lubricas. Cùm lapsus, gra-

ve vulnus in pede retulisset, jussus est domi manere ad curandum vulnus. Verum ille, ut in Sacris Exercitiis pergere posset, implorata Beatæ Virginis, & S. Ignatii ope, angulum in ædibus alicujus nobilis in urbe impetravit, ubi maximam partem noctis in orationibus exigens, quietem parumper super nudum pavimentum cepit, biduō non nisi modico pane, & aquâ refectus. Tertia die ostendit Patri Directori pedem omnino sanguinum, vulnusque penitus evanuisse.

Ultima horum Exercitiorum die manè habita fuit meditatio de perseverantia, tum modus explicatus recte vivendi, ac proposita in opus deducendi. Præparatio dein ad Sacram Communionem instituta, quam singuli suscepere ad Aram faciente condemnet Directore, tenentes manuschedam, in qua proposita annotarunt. Post gratiarum actionem voce alta institutam, subjuncta est exhortatio de

perseverantia, serioque inculcatum, ne posthac vivere pergerent cum scandallo aliorum, & SS. Exercitiorum gravi præjudicio, damnóque aliorum, qui alias cum fructu eadem essent frequentaturi, si fructum in illis constantem advertissent. Hactenus Acta Congregationis, de quorum veritate eò minus dubitare par est ; quod, dum hæc scribuntur, plerique adhuc in vivis reperiantur sanctioris hujus scenæ & Actores, & Spectatores. Mihi vero fusiore hæc calamo prosequi placuit, ut posteri eò avi- dius ad eam exercitationem convolent, quorum animus genero siore im- petu humi jacentem vitam superare, Deoque se dignum effingere concipi- scit : In his enim Exercitiis major quæ- dam cum DEO familiaritas, necessi- tudoque intercedit, è qua non potest non mens collustrari, & sanctis igni- bus inflammari. Fabulæ memorant, certis herbis nescio quem Acheronti- cum

cum Senem juventuti restitutum.
Verè hic plures senium exuere, calo-
réque Divino excocti, lætæ juventæ
redditi sunt. Hic curvæ in terram
animæ, *os sublime gerere, cœlumque*
tueri doctæ sunt. Cæterum copio-
sissimus fructus prædictorum Exercitio-
rum permovisse videtur reliquos ex
urbe Sodales Illustrissimos, & Reve-
rendissimos DD. Canonicos, Comi-
tes, Barones, cæterosque urbis Pri-
mores, ut sub verni jejunii tempus
petierint post decantatum in Templo
Sancti Francisci Xaverii Psalmum
quinquagesimum meditationes insti-
tui de Mysteriis Passionis Domini,
quod est præstitum in Oratorio Ma-
riano, ubi, obductis nigro tapete fe-
nestris, & scannis, prodiit Congre-
gationis Præses cum Magistratu præ-
grande ferens Crucifixi simulacrum,
quod dein in terra ante aram depo-
suit. Meditationi præmissa media
pars Planctus Beatæ Virginis strabat

Mater, altera subjuncta. Sub finem meditationis colloquium instituit Præses prostratus ante Crucifixi imaginem, quam dein de terra elevans præbuit Illustrioribus Sodalibus ad osculum, ac denuo ante Aram deposit, accedentibus ad idem figendum osculum reliquis DD. Consodalibus, quæ devotio postmodum per complures annos continuata, uti auditorem semper habuit frequentissimum, ita fructum tulit uberrimum. Ità Acta Mariana.

Caput hoc claudat ille Sodalis Tridentinus, qui eò usque in hoc pium commentandi studium vivus exarserat, ut mortuus libellum Exercitiorum secum unà tumulo inferri voluerit, velut sanctam transactæ viræ regulam, & mortis piè obitæ tessera. Dum hunc libellum in demortui hujus Sodalis manibus intueor, subit illud cogitare, quod Auctor Alphabeti his verbis memorat : Ex infima Gram-

Grammaticæ Discipulus erat, qui, quod officium Beatissimæ Patronæ suæ integris viribus recitare frequens consuësset, id in sua quoque in valetudine faciendum multò magis putavit, ut qui morti propior esset, & mercedis Legere ergo suo more preces Marianas, dum vult, clauduntur oculi, & ille ad Sodalitium Divorum avocatur, pertinaciter adeò intra digitos hærente libello, ut (quod ei commode extorqueri non posset) cum eodem articulis sic impedito, ceu tesserâ suæ in DEUM, & Virginem pietatis, fuerit sepeliendus. En! uterque hic Sodalis cum suo libello in tumulo; iste cum libello Officiorum, ille Exercitorum; uterque suum olim in vita habitum declarat studium; iste orationis, quæ voce, ille, quæ mente peragitur. Uterque procul dubio gratiam invenerit in oculis MARIAE, sed nescio, an non Tridentinus singularem; nam quam aptè hæc Exerci-

ercitia convenient Sodalibus Marianis, docuit ipsa SS. Virgo, facta nostro Gabrieli revelatione, Magistrum se appellitans Sancti Ignatii, & auctorem Exercitiorum, utpote quæ in hoc præcipue internæ orationis studio vitam in terris exegisset. Sic fidem facit Ludov. de Ponte in vita Alvar. cap. 43.

C A P U T IX.

Nonum Marianæ Coronæ Decus, Fortitudo animi.

Illustre in Cœlo stellato emicat sidus, *Hercules* dictum; et quod illum fortissimum tot monstrorum dominatorem Herculem Poëtæ in stellam conversum comminiscantur, velut in illustre laborum suorum præmium. Verius olim in Cœlo Empyreo, velut totidem sidera, effulgebunt Marianæ Sodales, vitiorum domitores; nam quid aliud designant tot monstra-

domita, & exterminata à fabuloſo illo Hercule, quām pravas concupiſcentias ſub jugum rationis miſtas, & varia expugnata animi vitia? Quo quidem in circo quām ſtrenuē decer- tārint, quām glorioſe triumphārint Mariani nostri Hercules, cūm jam olim ſpectaculum facti ſint DEO, Angelis, & hominibus, par eſt, ut & Nos quoque Posteri ſpectatores acceda- mus. Sit itaque.

§. I.

Animi Fortitudo in elidendis vitiorum fibris.

PRimum fortitudinis ſuę ſpecimen edidit Hercules, quando ſubmiſ- fos ſibi à Junone angues adhuc in cu- nis eliſit. Serpens eſt & omne pec- catum, de quo Sapiens: *velut à facie colubri fuge peccatum.* Quod moni- tum altissimè cordi ſuo inſculptum circumtulere Sodales Tridentini;

quos

quos inter exstiterit, qui quotidie optavit prius mori, quam ut ipse, aut Sodalium quispiam DEUM, ac Deipariam gravius offenderet. Fuit, qui apud semet firmiter statuerat, malle se potius in fornacem ardentissimam, quam in peccatum mortale præcipitari. Fuere permulti, qui, ne quae labe Virgineos Deiparae oculos offenserent, crebris per diem suspiriis præoptarunt, æternæ felicitatis jacturam potius, quam ei vel ob umbram cuiuscunque demum admissæ notæ breviter etiam displicere.

Hos inter cum innumeris aliis eminuit Plurimum R. D. Antonius Gislimbertus, cui Annales nostri hoc elogium attribuunt, quod fuerit totius Congregationis, omnis virtutis, & modestia exemplum. Videre erat in hac absoluta Mariani Sodalis idea amorem, timorémque DEI summum; perfectissimæ pietatis initium juxta, ac complementum, non à peccato
dunata-

duntaxat omni, sed ab ipsa illius umbra abhorrentem conscientiæ teneritudinem. Marianæ illi leges, & statuta princeps semper cura, & vivendi regula fuere: grandi sibi duxisset piaculo, si vel ad latum ab iis unguem discederet; unde colligas, velim, quām longē absuerit ab ipsa transgressione Legum Divinarum. Fixissimum illi erat, vivum prius in infernum insilire, quām DEUM graviter offendere. Ne verò hoc propositum suum unquam enervaretur, aut robur ad implendum deesset unquam, in liberatum illud Puritatis speculum MARIAM intuitus, novas inde suppetias emendicare perennibus precibus semper solebat, quas illa supra, quām dici potest, magnas submisit: ille verò supra, quām credi potest, cooperando fœcundas reddidit; ut adeò felix fuerit tantâ Magistrâ discipulus, & felix tantô discipulô Magistra Divina.

Et profectò in oratione, qua in nos, ut pleraque alia DEI dona, sic etiam hoc donorum, & sapientiæ initium, timor Domini derivatur, tam erat multus, ut, qui sœcularem non nōset, dixisset esse Religiosum. Mos illi à lecto ad preces surgendi, eásque frequenter per integrum omnino horam continuandi: nec lecto se committebat, quin horam itidem totam priùs in DEO quievisset. Præcipue ejus deliciæ Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum. Divinissimum Christi Corpus non modò de die quām sœpiissimè invisit, in hostia, ceu amoris folio latentem DEUM; sed serum in vesperum, nocte jam ingruente, horis integris in Ecclesiis hærebat, DEUM absconditum in tenebris, & extra conspectum rerum sensibilium commodiùs conspecturus. Ultimò illò Bacchanaliorum triduò quadraginta horarum comprecationi coram DEO Eucharistico institui solitæ, à sum-

summo manè in serum usque vesperum, ut Acta Mariana testantur, tam frequens Numinis erat adorator, ut ex industria constitutum Templi custodem credidisset. Adeò singulis pñnè horis præsens conspiciebatur non sínè maxima populi ædificatione, & ad paria studia incitamento. Quid mirum jam, si ex omnis Puritatis fonte tam integer vitæ, scelerisque purus reverteretur?

His adjunxit præcipuum ad omnem conscientiæ puritatem adjumentum, quotidianam conscientiæ exutiendæ accusationem, quâ solerter animo irrepentes maculas non disquirebat tantum solicite, sed fletu quoque eluebat. Ne verò interdiu tot inter labendi occasiones labes quædam animoaspergeretur, diein ità in piis occupationes habebat distinctam, ut tempore consuetis à negotiis vacuo, nunc meditaretur divina, nunc pios

volutaret libros, jam de rebus ad animæ salutem pertinentibus cum iis dissereret, quorum Cœlestem in terris esse conversationem noverat. Ità se dabant negotiis, ut meliore sui parte Cœlo hæreret affixus. Quid jam mirum virtutes cæteras omnes in eo pectore, velut sede propria, nidulatas, cui tam domestica fuit conservandi conscientiæ nitoris cura. Eluxit in eo placidissima morum temperies, rara modestia, insignis sui despicientia, zelus animarum, charitas erga proximum, misericordia in pauperes, religio in superos ardentissima, quō virtutum choragiō instructus 1652. 19. Aprilis è vita discessit, cùm actu fungeretur officiō Præfecti. Comitaci sunt funus Sodales omnes Majoris æquè, ac Minoris Congregationis, ac Coetus Angelici Clientes. Feretrum cum cadavere omnium oculis patente portarunt sex Clerici Sodales Alba Clericali induti, & biretō testi, sex
Præ-

Prænobilibus Dominis Consultoribus,
ad latus feretri cum facibus incedenti-
bus. Sed quò animam evolâsse au-
tumas? Eò procul dubio, ubi illi re-
quiescunt, de quibus Christus: *Bea-
ti mundo corde; quoniam ipsi DEUM
videbunt.*

Habes hic, quæ imiteris, exem-
pla, Parthenie Sodalis! Qui colere
vult MARIAM, Filium non offendat;
sic Matris unà, & Filii te filium pro-
babis: quomodo placere possit Matri,
qui inimicus est Filii? Hæc pietatis
est medulla, sinè qua nihil prosunt
omnia, nimirum peccatum cane pe-
jus, & angue fugere, utpote malo-
rum omnium maximum, imò malum
unicum, & omnis mali fontem.

Verùm non tantùm peccatum mor-
tiferum, sed & veniale, velis, remis-
que fugere satagebant. Hinc toties
in Bonis Operibus olim in sortitione
Sancti Menstrui oblatis legere erat
hæc verba: *toto hoc mense omnes etiam*

veniales noxas deliberatas cavi, eoque
direxi examen particulare, ut omnes
ad id inducentes occasiones pro viribus
declinarem. Alius sic scripsit: jam à
teneris assuevi, in honorem purissimæ
Virginis cor mundum conservare etiam
à venialibus noxis; & quò facilius hoc
impetrarem, inordinatas meas cupiditi-
ates quotidiana mortificatione suppri-
mere studui. Herculem videntur hi
imitati, qui vel in ipsis cunis angues
elisit. Imitare & tu, & concitatio-
nes animi, dum parvulæ sunt, inter-
fice; fibras malarum cupiditatum,
antequam tenaciùs adhæreant, evelle;
œtatis maturitatem victoriâ tui
ipsius præcurre; regno Cœlorum
etiamnum puer violentiam infer; nul-
la non die melior evadere stude;
quotidianis victoriis te ad triumphum pa-
ra contra maximum hostium pecca-
tum. In hac lucta, etiam quæ mi-
nima videntur, iilustria tamen sui
ipsius victi sunt specimina.

Ast quibus armis instructi in hujus hydræ excidium insurrexere? Ut fasti memorant, potissimum frequentum examinum conscientiæ, cum Sacramentorum usu; non contenti peccata sua frequenti expiâsse exomologesi, sibi ipsis multò frequentius diem dicebant, res singulas, dicta, facta, & cogitata, vespertinum ad examen quotidie revocantes. Quin imò examinis particularis usum innumeris suis se familiarissimum comperio. Nôrunt nimirum, contra multa simul vitia decertare, esse omnibus indulgere. *Nec Hercules contra duos.* Hinc fuit, qui integrò septenniō præservidam suam indolem, & inordinatos iracundiæ impetus his armis frangere allaboravit. Fuêre, qui, ut passionem principem sibi prædominantem, quæ plerumque fons esse solet peccatorum omnium, hōc telō debellarent, nulli pepercere tempori, nec labori. *Nec*

immeritò. Securis applicanda radici,
unde malum omne progerminat.

Porro Examini conscientiæ so-
ciam junxere Sacramentorum fre-
quentiam, præsertim Eucharistiæ,
quâ nullum adversus peccati mon-
strum telum validius. Non vacat lo-
qui hîc de frequentia, tum legibus,
tum privata cujusvis pietate inductâ,
hoc Sacramentum piè participandi :
non de publica jam inde ab exordio
Sodalitatis certis diebus in mense in
Oratorio simul Cothunicantium con-
suetudine: non de præstito comitatu
per plateas, cùm fortè occurreret
deducendum ad moribundos Sodales
Viaticum : non de usu quotidiano,
priusquam ad Scholas accederent, Ve-
nerabilis in Templo invisendi, ac de-
votè cum sociis à plerisque consalu-
tandi etiamnum solito. Fuère hæc
exercitatione multâ per annos singu-
los frequentata. Fuère Sodales, qui
ad susceptionem Sacramenti pridie per
con-

consueta jejunia, & flagellationes se componerent, qui vitæ, facultatūmque suarum ab hinc omne momentum se capere judicarent; qui Divinæ Voluntatis ductum in hac potissimum circumstantia inquirerent, & prosequerentur: qui debere se huic fassi sunt emendationis vitæ suscepta studia, & mutatae in melius, ac religiosius argumentum. Denique, qui affectiones malas ab animo detersas, ac vitia, consuetudinésque pravas hoc antidoto tractas affirma verint, panem vitæ nimirum, & salutis in cibo Divinissimo experti. Sed de hoc alibi plura.

§. II.

Fortitudo animi in edomando corpore mortificationis studiō.

Hercules fertur, corporis immensis Gigantem Antæum, Ter-

ræ filium, semel, iterum, ac tertium prostravisse, humique afflixisse. Cùm adverteret, quoties terram, scilicet matrem suam, attigisset, toties validiorem resiliisse, & in pugnam rediisse, medium correptum à terra sublimem sustulit, ulnisque constrictum tam arctè manu utraque pectori appressit, ut fractis costis disruptus exspirârit. Quis iste Hercules, nisi mens, seu ratio? Quis hic Antæus, nisi corpus, & appetitus, hostis noster infensissimus? Quid igitur agendum? Hostem domesticum nobiscum circumferimus, vires ex terra sumit. Velimus, nolimus, in nostram perniciem cibo, potu, somno recreandus est. Cùm mens in altum nititur, ab ipso terræ pondere gravatur, & retrahitur. Victoriam in hac lucta quisquis speras, Herculem te exhibe. Antæum istum, corpus inquam, ejusque insolentes appetitiones à terrenarum rerum contactu

tactu in sublime sustolle, ne somentum inde accipient, & jugum rationis detrectent. Qua quidem in lucta, quam præclarè se gesserint Marianiani nostri Hercules, videamus.

Primo omnium domare aggressi sunt effrænem illam, & in omnem licentiam effusam sensuum rebellionem. Nôrant, sensibus indulgere, perinde esse, ac hostibus portas Metropoleos aperire; hinc custodem optimum quinque lensum portis adhibuere, severum, & austерum vivendi genus; tenerum animum durtie corporis voluerunt præmunire. Proin, ne mors per fenestras intraret, severissime oculos cohibuere, ut vidimus, ubi actum de castitate. Aures, ne quid indecentius haurirent, sedulo obsepiebant, aut saltē fugâ, aut torva fronte, si pugnis, si alapis non licebat, impudicos sonos excutiebant. Nec mitius habitæ nares: Quidquid odoratui dulciter blandie-

batur, procul amandabant, nec minūs, ut Acta perhibent, vel in se, vel in aliis pati poterant, effæminatam illam vanitatem, ementitam illam ex odorum fragrantia sua vitatem: nec immeritò ad Sybaritas, ad Sabæos, ad Sardanapalos, & Troffulos, ad Poppæas, & Helenas releganda censuerunt isthæc evanidæ voluptatis lenocinia. *Optimus odor in corpore est nullus*, ajebat Seneca, neque fragrantius quidquam virtutis odore. Sed nîl mitius palatum mulctabant. Jejunia Beatæ Virginis Sabbato dicata abierant in vulgarem nimis abstinentiam, postquam reperti sunt complures, qui rigidissima assumerent, ipsum triduum solo pane, & aquâ extrahentes. Fuere, qui usitata piissimis supergressi, diem festum S. Menstrui sui non amplius pane, & aquâ, ut alii, sed solâ aurâ pasti sidereâ, transegerunt. Fuit, qui integrô triduô in honorem Christi Patientis nec micam, nec guttam.

tam aquæ gustare voluit. Fuêre, qui Castitatis amore in omnem vitam convivia sibi, & compotationes interdixere, ac genium suum hac in parte aliis viis, modisque insigniter defraudare noverunt; non ignari, castitatem inter patinas, & pocula sæpiissimè periclitari, & ut tibiæ tum maximè strident, cum maximè inflantur, & plenæ sunt vento: ità corpus humanum tunc potissimum in lascivam petulantiam exæstuare, cum plurimum ab epulis, vinoque calet.

Sed nullum inclemens excepere, quam tactum, sensuum, ut dignitate postremum, ità peccandi periculo maximè obnoxium. Amplitudine spatii latissimè diffusus est; atque adeò, nisi asperè, severèque tractetur, effrænis instar muli petulantissimè insolescit. Sed pro petulco hoc animali Athletæ nostri suum frænum, scuticam, calcar invenere. Alii in cilicio noctes pernoctârunt: alii

flagellō ad cruorem usque in se sæviērunt : alii liquato cereo in pellem infuso doloris sensum carnis ludibrio acriorem excitārunt. Fuit, qui in honorem Christi patientis sibi tot colaphos inflixerat , quot Christum pertulisse intellexerat : subin lingua in terra formabat arma Passionis sui mortificandi studiō. Fuit, qui ad pellen-dum in conventu somnum linguam gravi morsu vulneravit. Fuit , qui ultimō Bacchanaliorum triduō cilicinam vestem diu, noctūque gestando larvatis placare iratum Numen studuit. Alius duodecim diebus continuis, & aliās intra mensem quatuor noctibus ferreō cingulō lumbos arctissimè ligavit. Ità Acta Mariana.

Quām fortiter non exarsit novus ille Scævola noster, qui anno 1633. pulsante cor inverecunda suggestione, non faciem solūm, sed manum ipsam diu prunis ustulatam erubescere coēgit. Facillimum est hoc remedium,

&

& quavis obvium in candela. Et hæc quidem est omnium victoria præstantissima: unde in Scipionis Africani monumento legitur elegantissimus hic versiculus: *Maxima cunctarum victoria, victa voluptas.*

Sed hæc fuere singularia quodammodo, & privata certamina, quo quisque suo cum hoste, carne, congressus est: longè celebriora, & unitis agminibus suscepta in Pœnitentiæ supplicationibus invenio. Memorant enim Annales, primis illis erectæ Congregationis annis feralem Parasceves diem unâ cum nocte propemodum inter fervorem conflictationis tractam, & excruciatam fuisse. Lubet hic oculos conjicere in unitum agmen, quod ex Oratorio Mariano sub noctis crepusculum prodiit per urbem, quam facibus illustre, & ordinibus, tam auditu, visuque horrificum. Præibat Christi pendentis vexillum. Tum visi succedere Ordines

universi, distincti variis cruciatuum generibus, & ordiri pugnam: hi cum silvam raptare, & sub decumanis trabibus frequentare lapsus, toto corpore satiscere: isti expansis in crucem brachiis circumire: illi crepitantibus flagellorum ictibus miserè terga lacerare, ut viæ, & pavimenta quibus constitissent, sanguine natarent.

Hactenus ordinaria. Alii virgarum fascibus nudatos pedes, & manus atrociter diverberare: excussis alii palmis sonantibus concidere faciem: pars spinosa serta, verius senticeta liventibus gestare temporibus: pars alia mortuorum craniis manum unam, alteram scuticâ non otiosâ armare: quidam induti veste hispida, vel certè setosis funibus ligati brachia, lumbos, crura, arctissimè meare: aliqui nitendo nudis genibus per silices corpus trahere, multi in Templorum ingressibus humi se se prosternere, intrantium, & egredientium pedibus

con-

conculcandos : omnes denique tam incredibili ardore, tanquam seriis in se ipsos odiis desævire, ut ingens populi commiseratio, lacrymæ, suspria, sonori fletus, & publica peccatorum detestatio passim exaudirentur. En, quām fortiter cum hoste hoc suo domestico decertārint, quām gloriose de quinque sensuum rebellione triumphārint Mariani hi pugiles.

Verūm enimvero non tantūm domanda est sensuum libertas, sed quām maximē rebellio carnis, quām blandus hostis, tam virulentus, & pestifer, cuius contrariam legem, & violentos stimulos senserat ipsum illud electionis Vas, licet ter in Cœlum raptrum. Hic Rhodus, hic saltus. hīc omnibus pugnandum viribus, ut Sanctus Hieronymus monet; grandis est virtutis, & solicitæ diligentia in carne non carnaliter vivere, secum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi, ut fabula ferunt, vigilantiâ observare.

E quidem non diffiteor , qui sensuum libertatem iis , quibus vidimus , habenis adstrinxerit , eadem pene operâ carnis rebellionem coercuit . Arma videlicet , & machinæ , quibus nos illa impedit , sunt effrænes sensus . Si nihil audias , nihil tangas , quod non deceat ; si moderationem in cibo , potûque adhibeas , arma sunt erepta hosti ; parùm est , quod metuas . Oculi sunt in amore duces : non te seducent , si sequi nolueris . Sinè Cerere , & Baccho friget Venus : ubi flamma non invenit pahulum , evanescit incendium . Tactus , & joci sunt morituræ virginitatis initia : cessent exordia , desinent progressus . Sed accidet fortassis interdum , ut armis quoquè exutus hostis carneus ausit ferocire , intentare arma : quibus tunc expugnandus artibus ? Duas potissimum ab Athletis nostris usurpatas in Commentariis invenio .

Primum contra hunc hostem illis
scutum erat servens ad DEUM ora-
tio, ut nimirum ille sanaret, ille præ-
servaret, qui solus potest, non igna-
ri, hunc hostem nunquam facilius
fundi, quam fundendo preces. Hinc
exstitere, qui illam à tot jam obten-
tis victoriis celebrem millies intorque-
bant oratiunculam: *Per sanctam Vir-
ginitatem, & immaculatam Conceptio-
nem tuam, Purissima Virgo, emunda
cor, & carnem meam. In nomine Pa-
tris ♫ & Filii ♫ & Spiritus Sancti ♫
Amen.* Fuere, qui ad extremum us-
que senium Immaculatæ Conceptio-
nis Officium percurrebant. Fuere,
qui non solum singulis diebus reno-
vabant formulam, sed etiam, si gra-
viori pulsabantur tentatione, ne à
concupiscentia sternerentur, sponte in
genua provoluti, eandem iterabant.

Alterum erat, ut pravis cogitatio-
nibus resisterent in ipso accessu ea ce-
leritate, quam ignitum carbonem ex-
cuti.

cutimus à vestimento. Cūm effervesceret, atque ebulliret corpus igne concupiscentiæ inflammatum, quid tum agebant? ut olla, ne ebulliat, atque effervescat, ab igne celeriter removetur; ita & isti, ne effervescentis concupiscentiæ calore ebullient, à se ipsis recedebant, mentem à suggestione removebant, phantasiam aliorum divertebant. Non deliberabant, non auscultabant, non audiabant: contemnebant; dignissimi proin, quos posteri imitentur. Alexander Macedo rogatus, quā maximè ratione tot de hostibus reportāsse victorias? reposuit: nihil differendo. Vis, quisquis Deiparæ militas, & multis, & præclaras de carnis rebellione victorias numerare? numerabis, si primos illius insultus in tempore eliseris, si nihil distuleris; hic non Fabiis, sed Alexandris laureæ decernuntur. Hic fuga salutem, cunctatio perniciem habet.

§. III.

Fortitudo animi in doman-
da ira.

Hercules in Nemæa silva inusita-
tæ magnitudinis leonem jugu-
lavit, qui neque ferrō, neque lignō,
neque lapide interfici poterat; eique
detractam pellem pro insigni gestavit.
In Erymantho, Arcadiæ monte, ter-
riblem *aprum*, omnia circumcirca
vastantem cepit, eumque ad Eury-
stheum Mycenarum Regem adduxit.
Etiam taurum, insulam certam da-
mnis, & teriore replentem, domuit,
eumque vincitum ad eundem Regem
apportavit. Estne ulla bellua ferocior,
quam *ira*? Quæ quot verba, tot flam-
mas, velut ignivomus taurus, ore vo-
mit. Quæ, leonis instar, furibundis
scintillat oculis, & rugitu minores be-
stias consternat. Quæ horribilis in
modum apri fremit, & frendet; quæ

que dentes gerit, tot fulmina acuit,
& vulnera facit.

Sed quales, quantique hoc in agone nostri existitare Mariani pugiles? Primò non vulgaria in condonandis injuriis documenta exemplò Christi Crucifixi ab iisdem sunt præstata. Annō 1633. subortæ inter duos Sodales offensiones pulcherrimo vindictæ genere sublatæ sunt. Is, qui pro minùs nocente ab omnibus habebatur, prior à Consodali adversario deprecatus offensionis culpam, veniam genuflexus petiit, prior pñnam propterea imponi exambiit, impositamque humiliter suscepit, perfecitque. Habuit deinceps, ut admiratores, ista generositas, sic & sectatores. Nec immeritd; cùm maximi animi sit iræ non succumbere, nec læsæ dignitatis, aut honoris remedium à vindicta petere. Imò majoris adhuc sit animi, non agnoscere injuriam, quam ignoscere. Alius lautæ familie Sodalis ab inferio-

re ad contumeliam iteratō colaphō
malē acceptus, cūm ægerrimē ferret
injuriam, simul ac Patrona Virgo
venit in mentem, & dimisit offen-
sam, & devicturus in bono malum,
ocyūs Ecclesiam adiit, atque Ros-
rii corollam precatus, pro adversa-
rii incolumente eam obtulit. Alius
colaphō percussus, cūm non de-
cessent, qui flabellō flamas iræ ac-
cenderent, injuriam remisit, ac, ne
qua odii scintilla in animo resideret,
expiatā illicè sacra exomologesi con-
scientiā, Communionem & ille pro
inimico obtulit. Annō 1683. inter
studiosos Sodales inhonesta loquen-
tem familiari acrimonia juvenis Par-
thenius reprehenderat. Zelum hunc
unā maxillā luit: mox hic alterius
intactæ etiam copiam percussori fe-
cit, majori percutientis rubore, quàm
percussi. An non maximi animi est,
injuriis ejusmodi non succumbere,
nec earum remedium à vindicta pete-
re.

re. Neque enim malum malo, ut clavus clavo, bene expellitur. Bonus animus supra injurias se erectum credit, facilique oblivione eas conterrit; mollis infra se abjicit, ostenditque, tam se humilem esse, ut tangere eum injuriæ possint.

Commemorantur quoquè in Actis nostris complures alii, qui adversùs inferentes injuriam liberalius, quam antè, verbo, & opere, quam humanissimè respondentes, se se exercuerunt. Fuit, qui ab amico pluribus sibi beneficiis obstricto, gravi injuria laccusitus, non tantum abstinuit hanc injuriam meritâ posthac indignatione plectere, sed & priora beneficia cumulatius impendendo favores auxit. Alius convitiis, contumeliosèque verbere appetitus, tametsi prima animi concitatione ad cædem, & inustam ignominiae notam, cruoris effusione delendam, ferretur, nequam tamen fræna laxavit iracundia,

sed

sed è vestigio Ecclesiam Cathedralem
ingressus, stratūisque ad statuam Chri-
sti in Crucem acti, ejus vulnerum,
probrosæque mortis recordatione me-
dicinam fecit recenti tumor, omném-
que subito ex animo delevit injuriam,
& in amorem iras convertit. An
non lauro digna hæc capita, hæ manus,
hæc ora convitiis laceffita, con-
tumeliis onerata, verberibus excepta,
& indignis aliis modis ad vindictam
provocata? Num fortius aliquid præ-
sttit ille ferarum domitor Hercules,
aut Alexander terrarum victor? Sicut
auctore Tragædo, juvenile vitium est,
regere non posse impetum: sic mo-
derari animo suo in æstu iracundiæ,
linguam, & manum tenere, nihil at-
tentare, quod dedebeat, virile est, &
hominis excellentiâ planè dignum,
præsertim nobilis. Nobile vindictæ
genus est ignoscere vieto. Non ob-
scurat nobilitatis lucem lenitas animi,
sed illustrat. Imò, cui contigit igno-
bilem

bilem nasci, victoria sui facit verè nobilem, ut olim magnus inquietabat Augustinus.

Sed quæres, qua in palæstra hanc tam nobilem didicerint artem? quibus regulis usi? Id extranea palam facient exempla. Sodalis quispiam Catanæ in Sicilia gravissimè maledictis perstrictus, illud tantum: *at tu, inquit, ista tam libenter non dixisses, si audisses ea, quæ à me in Sodalito frequenter audiuntur.* Quo alterius turor, velut affusâ aquâ, refrixit totus, & alii ad Congregationis amorem inflammati sunt, quod rem omnium difficillimam, ignoscere, sibi possent addiscere. Panormi duos alias ea cogitatio, quod Sodales essent, ab ulciscendo revocavit. Quod ipsum Cæsaraugustæ in Hispania quidam illi respondit, à quo alapâ ignominiosè cæsus erat: *inter Sodales Marianos, inquit, numeror; unde & hanc injuriam, & alia multa forbenda mihi esse*

judi-

judico. En qua in palæstra hanc ar-
tem didicere Tridentini nostri Athle-
tæ; non utique aliâ, quam Marianâ.
Illa recordatio, quod Sodales essent,
filii illius Matri clementiæ, extor-
quebat è corde vindictæ studium; im-
pellebat, ut parcerent, imò injuriis
beneficia rependerent, & constanter
pro suis inimicis orarent. Eò respe-
xisse videtur Sodalis ille Tridentinus,
qui anno 1638. æmuli artibus hone-
stissimo, & pingui munere dejectus,
cum vindictam suaderet & præfervi-
da indoles, & urgerent consanguinei,
ac præsentissima illius sumendæ se se
obtulisset occasio, ubi in mentem ve-
nit, se Sodalem Marianum esse, ab
omni vindictæ specie abstinuit, & hanc
jacturam Beatæ Virgini obtulit, si-
mûlque ex animo omnem atrocis in-
juriæ memoriam ab animo abolitam
consecravit. Eò respexisse videtur &
alter ille Sodalis Tridentinus, qui non
ita pridem, postquam præclarissima

in vita sua omnigenæ virtutis præ-
buisset exempla, in ipsa morte præ-
stantissimum Christiani amoris reliquit
monumentum, dum paulò ante ago-
nem, evocato ad lectulum suum quo-
dam suo adversario, qui diuturnam,
molestámque ipsi moverat litem, in-
ter amplexus suavissimum osculum in
perpetui amoris pignus fixit. An non
hic, si quisquam alias, piè mortuus in
osculo pacis?

Fuêre, ut Acta perhibent ad an-
num 1633. qui non modò ejusmodi
occiones iram subigendi, doman-
dique sponte oblatas acceptabant, sed
ultra eas venabantur. Quando scie-
bant, reprehensum seiri ab aliquo,
aut injuriosè tractandos, studiò illum
accedebant, ut haberent, quod vin-
cerent, &, quò illustrior existeret vi-
ctoria, reprehensi, male accepti, gra-
tias referebant eò ampliores, quò re-
prehensio erat acerbior. Cotys Thra-
ciae Rex vasa crystallina, quorum a-
more

more incredibili tenebatur, per otium omnia simul frangi jussit, dicens: satius esse, illa pacato, sedatique animo constringi, quam, si quando famulorum alicujus incuria, unum, alterumve frangeretur, ira, & indignatione frustra excandescere. Verum hæc Regis hujus ratio iram edemandi mihi non ita probatur, ut non existimem, multò meliorem esse illam, quam tenuere Athletæ nostri; quia non fugiendo, sed resistendo, indignationis motibus contraivere. Leones, & ursos, cæterasque id genus feras effugere, cuivis est integrum: invadere, sternere, discerpere, Samsones tantum, Davides, aut Hercules audent. Differtur malum, non aufertur. Quamdiu justa non dictat ratio; sub hujus illa jugum mitti debet. Quamdiu vel scintilla gliseit, primum est incendium timere. Modico opus est pyro pulvere, ut flamma nascatur e scintilla: sic occasio

quævis iræ tuæ vires dabit. Nec in illa occasione, nec in illo, quem fugis, socio, sed in te malum latet; in pectore foves belluam; quocunque iveris, tecum ambulat. Non locum proinde, nec socium, sed te, & mores tuos mutare, necesse est, tēque velut in umbratili pugna ad victoriam exercere, uti à Marianis nostris Athletis factitatum vides.

Macti proin animis, Victores Mariani. Vos ego verè magnos, verè fortes prædico, qui novistis iracundiaæ frœnum injicere, ferociores spiritus subigere, excandescientiam domare, & vobis ad beatam illam regionem, ad terram illam viventium, ad Cœlestem Palæstinam, aditum non ferrò, sed clementiâ, & mansuetudine aperite. Et hi sunt Athletæ nostri, numerô totidem, quot fuere hujus fortitudinis sectatores. Sed ubi bravium, & coronæ? plectuntur inter astra.

C A P U T X.

Decimum Partheniæ Coro-
næ Decus, Fortitudo animi in
adversis æquè, ac prospe-
ris.

§. I.

Fortitudo in Adversis.

Non tantum agere fortia , sed & pati, Herculem astris intulit, perennem patientiae somitem subministrante æterno Junonis odio. Utrumque sibi propositum habuere & nostri Mariani Hercules , ut in Parthenia nostra gloriæ corona in illustre subservirent decus. Nimirum , ut in tempestate Margarita , in ignibus excoquitur aurum , inter malleorum ictus corona cuditur , sic adversis nutritur virtus : hæc enim est virtutis regula, mala pati , bona facere : utrumque

juvat patientia, cum qua malum non est, sinè qua bonum non est.

Adversos casus excelsô animô tolerare fortium virorum est. Cùm prioribus annis funestô bellô vicina conflagraret Italia, demum has quoquè in regiones Mars Gallicus se se infudit, omnia longè, latèque cædibus, rapi-nis, incendiis depopulatus. Durante hac Martis scena Prænobili cuidam Sodali nostro aliò se se interim recipi-entि nuntiatum fuit, incensam do-mum, abacta pecora, ablata omnia. Quid iste ad hæc? An in lamenta, in suspiria, in ejulatus erupit dolor? Mi-nimè gentium: Constitit sibi virtus has inter procellas: vultu enim tran-quillo, animoque in DEI voluntatem conformato, nihil planè conquestus, solum aureâ Jobi sententiâ se se solabatur: *Dominus dedit, Dominus ab-stulit: sit nomen Domini benedictum.* Qui Jobi verba tam citò in promptu habuit, ejusdem robur animo dudum conce-

concepisse debuit. Ità nempe rerum³ quas mundus pretiosas credit, jacturam pensi non habet, cui omnium locò Christus est.

Sed non minorem animi fortitudinem & illud indicat, si quis in officio humili, in oculis mundi abjecto, permolesto, amore DEI, proximique suscepto, invariabili patientia, longissimo tempore, in seram ætatem perdurat; quo in genere se admirabilem prorsus nobis exhibuit Nobilis, & Ornatissimus Dominus Antonius Gislimberti, Sodalis ferventissimus. Hic, præmatura morte conjugè sibi erepta, ut longissimum patientiæ subiret gymnasium, triginta & amplius annis, non interrupta serie, prima latinæ linguae principia pueros docuit. Hanc Viri nobilis patientiam tot annis inter pulveres scholasticos confidentis, tot molestias, tædia, ac labores, quorum hoc officium longè feracissimum est, invicto ani-

mō decoquentis, forsan minus mirabuntur illi, qui rei experientiam non habent; at experti fatebuntur, opportuisse, eum præditum fuisse patientiā, plusquam Spartanā.

Sæcularis cùm esset, religiosam prorsus docendi assumpserat methodum. Singulari valebat arte puerorum animis non prima tantum latinitatis principia, sed quām maximē prima fidei elementa instillandi: blanda eos compellabat voce; virtutis pretium, vi ii fæditatem, ac solenniora Fidei mysteria proponebat modo tam facili, suavique, ut tenellam ætatem à suo ore teneret suspensam: idque mira præstabat alacritate; satīgnarus, jactam Divini Verbi semetem cum adultiore ætate adolescere, fructūmque haud infrequenter afferre in seros annos.

In Cœlitum Reginam eam præferbat pietatem, eāmque aliorum tam præpotenter inserebat animis, ut exp̄ressior

pressior Mariani Sodalis idea suo tempore vix in alio magis reluceret. In ejus fidem, ac clientelam se, suaque omnia s̄apē contrebatur; sermones de Virginis laudibus (amantium more, ac indole) miscebat perlubenter, idque tanto cum sensu, ut audientibus partem suæ suavitatis aspergeret, & suos præsertim discipulos Marianis amoribus jam à teneris inflammaret. Hanc ergo rara, & quotidiana religione celebat sollicitè, tantò se gratiorē Filio futurum ratus, quantò studiosior exstitisset Matri. Quâ subnixus fiduciâ miris innatabat deliciis, quoties aut Matri suæ salutem concepit ab Angelo verbis diceret, velut ipse factitabat tota ferme die, aut sacras eidem ædes adiret.

Summo manè, hiemali æquè, ac æstivo tempore, cum Corolla sua precatoria in manu, advolabat ad Templum Societatis JESU, ibique primo Sacro intererat, ac reliquis suc-

cedentibus usque ad tempus scholæ
semper orationi intentus, cum liqui-
dissima animi sui voluptate. Sed non
in Templo duntaxat precandi pasce-
batur deliciis : assiduis enim manibus
sacrum volventi Rosarium & domici-
lium, & forum pro Templo erat ; eti-
am cùm per plateas incederet, orâsse
est notatus. Finitis scholis pomeridianis,
se se conferebat ad Templum
RR. PP. Dominicanorum extra ur-
bem situm, ubi in Sacello Sanctissimi
Rosarii integra puerorum, ac puella-
rum cogebat agmina, queis immixtus
in scrum usque vesperum coram Vir-
ginis Ara Corollam Marianam iteratò
percurrebat : negligentiores invita-
bat, diligentiores remunerabatur co-
ëmptis à se piis munusculis, ac præ-
miolis, bonus utique Magnæ Matris
œconomus, cuius amori in omnibus
semper erat tenerimè addictus. Hanc
devotionem cùm tot annis non in-
terrupto fervore continuâsse, in rei
memo-

memoriam in prædicto Sacello affixa est imago, devotissimum hunc MARIAE servum exhibens suis parvulis circumdatum, quæ etiamnum hodie omnium oculis prostat.

Jam verò quantum hisce studiis in Deiparæ Virginis cultu profecerit, vel inde nobis liquidissimè constat, quod jam fatalem arenam ingressus, atque ipsa cum morte luctatus, suavissimis affectibus suum erga dilectissimam Matrem filialem amorem explicuerit, tam singulari tranquillæ mentis fiducia, quasi nullo penitus in periculo foret: & verò nec fuit, cùm illa diligentes se diligit, & separari Mater pulchræ dilectionis, à dilectis filiis suis omnino non possit. Pientissimè, & placidissimè obiit anno 1679. 30. Augusti non sínè fama sanctitatis, etiam apud viros Religiosos relictâ, qui viri hujus raras cæteras virtutes penitus inspicerant: atque ita tam gloriosam coronidem imponere debuit MARIA,

RIA vitæ, quæ tot vicissim MARIAE coronas imposuit, & composuit.

Verum nîl æquè genuinæ patientiæ lapis Lydius est, ac adversa valetudo, morbi, dolores. Quo quidem in genere alterum se Jobum nobis exhibuit Dominus Franciscus Sartti, qui anno 1637. pientissime, ut Sodalem decet, diem suum obiit. Erat hic vivum patientiæ spectaculum; nam gravis, ac diuturnus morbus eò Franciscum adegerat, ut in eo præter ossa, & pellem, eamque multis locis ob diuturnum situm jam fatiscentem, nîl appareret. Attamen tanta, tamque invincibilis patientia in eo eluxit, ut omnibus admirationi fuerit, domesticis æquè, ac inavisentibus exteris. Certè tot malis pressa, nunquam oppressa est ejus animi fortitudo; imò, cum inter perpetuos morbi dolores corpusculum langueret, ardebat tamen animus, & cor divinis flammis accensum. Sin-

gulari

gulari DEI, Deiparæque beneficio dolores suos adscribebat, ut delicta juventutis, ut ipse ajebat, in hac vita expiare, & anima purior ad DEUM, Deique Matrem avolare posset. Utinam hoc patientiæ speculum sibi ante oculos ponerent omnes ii, qui impatientius suis morbis illacrymantur, ignari sanè, quid in morbis boni lateat. Inter hispidos cortices dulcis latet medulla, modò noverimus hanc è spinis eruere dulcedinem, mel è thymo, ex morbo sanitatem elicere. Genus quoddam sanitatis est hominem non esse sanum. Dum languet corpus, vegetatur spiritus. Multos meliores fecit ægritudo, quos sanitas perdidisset. Ut tenebræ juvant ad splendorem, sic morbi ad vitam meliorem. Deseruntur à vitiis, qui ea deserere noluerunt.

Hos inter dolores proin Franciscus noster miram animi lætitiam, tranquillitatemque præferebat. Talis

ejus erat animus, qualis mundi statutus supra Lunam. Semper illic serenum est. Ad ultimum sibi halitum præsentissimus, quasi dolorum nondum satur esset, cum Indiarum Apostolo identidem suspirare visus est: *amplius Domine, amplius.* Demum unâ ante mortem horâ manus in crucis formam ante pectus compo-
suit, ut intelligeres, quâm sibi cor-
di habuerit crucem, & Crucifixum.
Sic est: facile crucem bajulat, qui bajulat, quod amat. Humerus, &
robur patientiæ amor est. Qui amat,
nulla dura sentit. Illi gemunt sub
onere, qui nolentes ferunt; hi enim
succutiunt onus, nec excutiunt. To-
tum pondus impatientia est. De-
mum noster Athleta, cùm ægritudi-
nis assiduæ, ac multiplicis beneficiorum
id dolorum incrementum impetrâsf-
set, ut ignibus nihil superefferset piandum,
m̄rtuus tandem est, vel, ut rectius
loquar, tandem desit mori.

Et hic quidem Sodalis , uti sper-
mus , jam tenet patientiæ coronam in
Cœlis: cui haud absimilem procul du-
bio sibi vendicavit & alter ille annô
1694. fatis functus. Fuit hic Præ-
nobilis Dominus , Thomas Tabarelli
de Fatis , Sodalis verè Parthenius , &
Virginis cultor planè eximus , cujus
non minùs virtus illustris , sicut sem-
per in anteacta vita , ità vel maximè
in ultimo morbo emicuit. Morti præ-
luserat longa , tristisque aliquot men-
sium spatiō continuata dolorum sce-
na , in qua personam suam ità egit
feliciter iōsignis patientiæ Heros , ut
pro acutissimis morbi cruciatibus e-
tiam grates referret Numinis , pu-
nientisque exoscularetur manum ,
quæ , quò in mortali vita ferit gravi-
us , hoc pleniū condonat in altera.
Certè , in his corporis doloribus pati-
entiam Martyrum est æmulatus , ut
nostræ loquuntur Annuæ.

Sacratissimorum Stigmatum , & Passionis Domini, cùm devotissimus semper cultor exstisset, sic circa vitæ finem etiam imitatorem effecit laudata jam illa, & diurna, ac incredibilis patientia , copiosas quidem lacrymas ciens, sed non nisi amoris, & affectuum tenerrimorum in Christum Crucifixum. Hujus effigiem, pectori secum tumulandam , manu continuò præferebat, osculis, & lacrymis madidam. Quis dubitet, jam huic patuisse Cœli januam, cùm cruce Cœli clavem secum attulerit. Videtur mihi hujus Sodalis anima fuisse argumentosa : ut enim ex amaris herbis mel conficere noverunt apiculae , sic ex amara Christi patientis memoria suam noverat dulcedinem haurire. Hæc nimirum sanctæ hujus Alchymiae virtus est : amarescit, quidquid amarum accidit , dum Christi Passio mentis obversatur. Ferunt Sancto Wilhelmo post exantlatos invi-

Età patientiâ innumeros dolores, Cœlum subituro paratum solium ab ejus Discipulo fuisse conspectum, coronamque, rarum opus, & Angelorum manibus elaboratum. An non similem ominari licet his nostris Athletis? Sed gemmas iidem suppeditârunt, nimirum virtutes suas, quas nos miramur; sed subterfugimus patientiæ scalpellum, sînè quo nulla gemma cœlatur.

Illud quoqué ad patientissimi hujus Sodalis laudum cumulum pertinet. Eum verum MARIÆ servum & vivisse, & mortuum esse; quam enim arctis amoris nexibus Beatissimæ Virginis adstrictus fuerit, eluxit tum maximè, cum inter acutissimos suos cruciatus, emortua jam voce, fractas vires colligeret, & Patronæ suæ, ac Dominæ extremum Marianò sacramentum se iteratò manciparet. Et vero audivit piissima Mater Clientis sui Vota; nam vix rogaverat, ut se in ser-

servum perpetuum susciperet; cùm,
ingeminato auspiciatissimo MARIAE
nomine, quasi vocantem audiret, ex-
pe-tus corporis ergastulo, in Matris
amplexus ruit, quam sibi multiplici
amoris vinculo pridem obligaverat,
jam non servus, sed felicissimus tan-
tæ parentis filius æternum futu-
rus.

Verūm hos inter fortissimos in pa-
tientiæ circo exercitatos pugiles, ut
dignitate, sic & fortitudine longè emi-
nuit Celsissimus, & Reverendissimus
Princeps, & Episcopus Franciscus de
Alberti, lumen Congregationis no-
stræ splendidissimum. In hoc Prin-
cipe illud cum primis singulare, quod
pulchro inter se fœdere duas dotes
maritârit, & insignem scientiam, &
præcellentem virtutem. Ista in actio-
nes vitæ totius influxerat adeò, ut
nihil nisi è præscripto virtutis fecerit.
Nihil in illo non magnum fuit, nihil
non exquisitè pium, & ad omnem
Chri-

Christianæ perfectionis amissim exa-
etum.

Singularissimè verò in eo eminuit ardentissima devotio erga Christum Crucifixum, &, quæ ei adstabat proxima, Matrem dolorosam. Hanc devotionem, si nos taceremus, vel lapides clamarent. Ejus enim munificentiâ, & sumptibus assurrexit magnificentissimum illud, & prægrande Ecclesiae Cathedrali annexum Sacellum, verius dixisse, speculum marmoreum, si non aureum, in quo ex pretiosissimis omnis generis marmbris, raris picturis, parergis, & corymbis liberalissimè aurô illusis, ita omnia irradient, ut pretium cum arte, & ars cum precio certare videatur. Sed quem in finem tam pretiosa hæc fabrica? Non in alium, quam ut in ea velut in Arca collocaretur Thau naturgum illud Crucifixi simulacrum, coram quo celebratum est Concilium Tridentinum, & ante cu-
jus

jus pedes tub S. Synodi finem publi-
cati fuere Sacri Canones, ac Decre-
ta. Inscriptio aureis expressa literis
hæc refert : *Ad pedes hujus Sanctissi-
mi Crucifixi a choro hoc translati, fue-
runt publicata omnia Decreta Sacro-
Sancti Concilii Tridentini.*

In hoc Sacello ad sinistrum latus
prægrandis, & ex pretioso lapide elab-
orata cernitur statua, quæ Princi-
pem hunc exhibet flexis genibus, er-
etis in Cœlum manibus, oculis in pro-
digiosam Crucifixi imaginem defixis.
Talem nobis hæc statua hunc suum
Principem post mortem exhibet, qua-
lis semper fuit in vita, nimirum per-
petuus Crucifixi adorator, & imita-
tor. Ex hac Christi patientis Scho-
la admirabilis evasit in patientia di-
scipulus. Inde emanavit impertur-
bata illa animi quies, ac malacia,
quam, secretorum index, vultus ex-
terius quoque prodebat. Inde etiam
infractum animi robur succrevit, quo-

om-

omnem casum æqualiter sustinuit; nam, si quid difficilius in negotiis accideret, animo ad superos erecto, prostratus toto corpore supplex coram Crucifixi imagine divinam opem primum, dein Matris suæ clementissimæ auxilium implorabat.

Tandem in multis probè exercitatus, patientiæ scholam, acutissimis doloribus impugnatus, sed minimè expugnatus, subire jussus est, in qua præter heroicam patientiam, quæ omnes in admirationem traxit, voluntatem suam altiori planè integrè conformavit adeò, ut acutis identidem doloribus, novisque magis succrescentibus, DEI laudes sonare auditus sit, & pro transmissis cruciatibus repetitas gratiarum actiones rependere. Tantum abest, ut ullo unquam verbo de mali pertinacia, vel longitudine questus sit. Sic doméstico cum hoste identidem compositus, dignum erat Cœlo spectaculum

culum, mundumque docuit, quid mortalis infirmitas, à Crucifixo Salvatore corroborata, possit. In hac demum palæstra tamdiu viætrices lauros cumulavit, donec innumeris illustratam meritis Creatori suo multiplicato cum fœnore reddidit Princeps æternâ memoriâ dignus.

§. II.

Fortitudo animi in prosperis.

ET hi quidem in perferendis fortis doloribus; alii longè fortiores se exhibuere in respuendis mundi invitamentis. Plures invenies, qui inter adversa erecto stetere animo, quam qui prosperis non sint dejcti. Blandus quidem, & effeminatus hostis voluptas, sed quæ ipsum tandem Herculem tot adversis invictum devicit. Latè per orbem variis in urbibus crexit mundus, Si-

mia nequam, famosas illas, & voluptarias Congregationes, palliatæ licentiæ vitæ domicilia, & vanitatis receptacula. Sed quid hic Tridentini Sodales, iisque nobiles, & copiosi? Hi vanitatis cætus nunquam hac Civitate donati sunt, semper exesse iussi, in ultimam Thulen relegati, non sine singularissimo horum Sodalium encomio: Cùm enim juxta Philosophum media ab extremis participare soleant, uti crepusculum inter diem, & noctem medium, aliquid de extremis suis, nempe lucem à die, tenebras à nocte participat, Tridentum autem medium sit inter Italiam, Germaniamque, in quibus hi voluptuarii Conventus priore sæculo efflorescere cæperunt, non tamen labem traxisse ab his extremis, prodigiis instar videri potest. Faxint superi! ut hæc laus hujati Nobilitati perennet à sæculo, & usque in sæculum. Verum, quid ego hic in hanc virtutis arenam

revocem plures jam suprà quidem laudibus suis coronatos pugiles egregios, fottissimóque de mundi vanitate triumphatores, qui eo ipso tempore, quando Bacchanaliorum licentiâ tot alii mortales flagitiis, vel, ut levissimè dicam, insanæ, voluptatique operabantur, è contrario integrōs dies comprecationibus, aliisque pietatis exercitiis consecravere. Illud memorabile in paucis, quod Sodalium nonnemo hoc ipsissimum tempus, in quo tot alii pœnitenda agunt, velut aptissimum suæ agendæ pœnitentiæ destinârit. Nam ultima Bacchanaliorum die hirsutô inductus saccò, è setis contexto, extra urbem summo manè pedibus nudis, ac manibus Crucifixi imaginem præferens, ad Virginem Lastensem se contulit, ubi vitæ malè actæ labes generali Exomologesi relegens, residuum diei in exoranda peccatorum venia jejonus transegit. Hunc procul dubio velut

stul-

stultum riserit mundus , dum diem Bacchanaliorum convertit in diem Cinerum. Sed & hic vicissim insipientiori mundo irrisit , dum pœnitentiam agendo Angelis gaudium procreavit , & pœnitentiæ lacrymas fudit , quæ dicuntur lac Angelorum.

Quid jam eos commemorem Sodales , qui , spretis amplissimis patrimoniis , honorum , ac dignitatum titulis , quos vel mundus , vel natales haud ex vano promittebant , ad religiosa castra , ad sacros Ordines , ad vineam Domini excolendam à nobis abierant. Sodalitium nostrum , uti & cætera per orbem sparsa , Seminarium videri potest esse Cænobiorum , & ager fertilissimus statûs Ecclesiastici. Non decurrit annus , quò non è singulis ferme Sodalitiis ad diversas Religiones multi , ad Ordines verò sacros , longè plures abiisse legantur.

Nec est, quod quisquam miretur ex hoc virtutum Athenæo ad Religiosa domicilia tot evolare. Ratio in promptu est, quod ad sacram illam militiam illi evocentur, quibus majus animi robur est, atque eos flamma illa divina citius corripiat, quorum mens ad amorem DEI concipiendum perpetuo quodam calore præparata est: suis enim cupiditatibus immersæ, scintillam cælestem citè suffocant. Quare, cum in Sodalitate continuis exercitationibus animi sensim majoribus imbuantur, mirum videri non debet, si tam multi, quibus DEUS bonus præ aliis favet, commodis spretis, spéque rerum amplissima deposita, in arctum vivendi, durumque genus se transferant.

Quid jam eos hîc in medium proferam, qui ab eo tempore, quô Mariano Sodalitio nomen dedere, etiam interposita voti religione in omnem reliquam vitam noxiū chartarum lusum

lusum sibi interdixere, qui velis, remisque perpetuō fugitabant ganeas, popinas, ac periculosa illa diverticula, ac conventicula, seu verius Juventutis naufragia. Quid eos commemorem, qui statis precibus DEUM identidem exorabant, ut Principihs inspiraret animum perpetuō decretō proscribendi larvas, & choreas.

Quæ quantopere DEO, Deiparæque displiceant, haud obscurè annus 1640. ostendit. Tridenti domi suæ tempore Bacchanaliorum cum pueris, quos Convictores aluit, Sodalis nonnemo, & Paterfamilias se juveniliter recreaturus, solus scitè saltare aggreditur. Sed ecce, dum pendibus micat, & aliquoties tremulâ tibiâ, & plantâ plaudit, crus luxatur, & in humum defluere cogitur. Advertit illico hanc à Cœlo poenam levitatis fuisse suæ: quare postero die ad Congregationis Odeum, ubi Numen Eucharisticum in hierotheca exposi-

tum erat, claudus etiamnum, nulla sui statūs habita ratione, per compita ostiatim muros palpitando longo itinere perreptavit, DEUM, & Deiparenrem Virginem pro hac qualicunque noxa placaturus. Divinam hanc fuisse ultionem fassus est, quod ed levitatis venisset, qui jam à multis annis choreas cane, & angue pejus odisset, tulitque patienter vindicem DEI manum, donec sanitati restitutus esset; atque sic, quod imprudentiā deliquit, pœnitentiā correxit.

Fuere alii, qui in tota vita sua nunquam adduci potuere, ut profanam spectarent comædiam, præsertim quam utriusque sexus actores animarent. Auctor vitæ memorat, P. Jacobum Alvarez Societatis JESU, eximiae sanctitatis virum, cùm aliquando in Hispania ejusmodi spectaculo interesse cogeretur, extractō libellō precatoriō in Virginis iconē, septem horas

horas integras, quibus scena duravit, defixos tenuisse oculos. Opinor & ego, quod Sodales hi nostri in omnem vitam abstemios voluerint suos ab ejusmodi spectaculis oculos, mentis obtutum defixisse in MARIAM, in Sodalis nomen, utpote quod Virgini sacrum, Veneris scenâ videretur profanari.

His malis ut providè occurreret Congregatio nostra, & ab ejusmodi vanitatis theatris Sodales avocarentur, per seculi decursum identidem suam adornavit scenam, dedit spectacula; sed quæ non risum moverent, sed lacrymas cierent, non animas perderent, sed lucrarentur; dum jam DEI immortalis in corpore mortali emorientis luctuosam catastrophen, jam Divinæ Nemesis rhomphæam in sceleratos animadvertem, spectandam exhibuit eo apparatu, Actorumque commendatione, ut maximus non modò Sodalium, sed

etiam cæterorum Civium accusus ex-
stiterit. Ac, tametsi multos forsan
rei tantum novitas pellixerit, nihil
lominus ingens operæ pretium se fe-
cisse arbitrabatur Congregatio no-
stra; nam, ut profana spectacula
ignorantibus mentibus tacite illabun-
tur, easque pertentant, utinam non
sæpius labefactent; ita si quid religio-
sum objicitur, horrore sacro omnes
percellit, scintillam pietatis clam in-
sciis inserit, bonaque olim frugis na-
scituræ semina abscondit. Verum
his spectaculis, comædiisque epilogum
tandem imponat ille, qui dixit: ma-
gnum theatrum mundus est, in quo
tot histriones, quot homines sunt.
Cura autem, ut, quantum fieri po-
test, spectator sis, non actor fabulæ.
Qui spectaculum suum in scenam exhi-
bent, laborant; qui spectant, rident
mundi fabulam.

C A P U T XI.

Undecimum Marianæ Coro-
næ ornamentum, pia Sodalium
Tridentinorum Mors.

UT finis coronat opus, ita beatæ
mors piam vitam MARIAE
culturis. Quis est, super quem Sol
non luceat? quis est, super quem mi-
sericordia MARIAE non resplendeat?
sed nunquam copiosius irradiat, quām
sub vesperum, sub vitæ occasum.
Nunquam potentiūs benefica illa Lu-
na dominatur, quām in funesta illa
mortis nocte; hinc etiam nunquam
nitidiūs emicant MARIANÆ Stellæ,
Sodales illustres, quām in illis mortis te-
nebris. Ab hoc punto pendet æterni-
tas. Feliciter imensus vitæ consequen-
tis circulus circumducitur, si manum
defigentis hoc punctum regat Deiparæ
amor. Referemus proin hic paucis-
simorum mortes inter plures celebra-

tas in Actis : aliorum verô DD. Sodalium præsertim Celsissimorum Principum nostrorum elogia, cùm sat prolixia sint, fusori calamo, ac distincto opusculo reservamus : interim tamen eorundem præclara virtutum decora ad illustranda libelli hujus capita jam prælibare placuit. Cæterūm ordinem statūs, ac conditionis in mortuorum Elogiis eum servamus, quem suō nos exemplō cæca mors docet , quæ nullo discrimine , æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.

ELOGIUM I.

Illusterrimi Comitis Nicolai de Lodron, Canonici Tridentini.

Annō 1637. quō facta est Majoris Cœtūs à Minorī separatio , 14. Julii circa diei , noctisque limites obiit Illusterrimus Dominus Comes Nico-

Nicolaus, juvenis 13. non amplius annorum. Senili tamen prudentia, & morum gravitate virum præferebat, pedo, mitræque natum. Juventutis Tridentinæ verè fuit gemma, præstanti ingenio, memoria incredibili, formâ insigni, moribus suavissimis, &, quod caput est, non minore in Superos pietate. Integritatem castitatis, mentis, oculorūmque modestissimus vigor præferebat, & emicabat illa animi innocentia ipso habitu corporis, nec cuiquam occurrebat sinè solatio ea facies oris, ea morum, totiusque indolis elegantia, & venustas, ut jure de illo etiam dici posset, naturam ipsam magnis mentibus digna corporum domicilia meditari.

Paucis antè septimanis in Sodalium nostrum suscepitus, iter ad Beatisimæ Patronæ nostræ Sacellum quoddam adornavit, & quod purior ad illam velut inter illius aulicos ra-

diaturus emergeret, festo Sancti Aloysii die, cùm nemo suassisset, perpetuæ castitatis votō virginitatis florem Virginis consecravit, semper, dum vivit, intactum; quia horto concluso commiserat. Sic nempe paratus ad mortem, ejus licet inscius, properabat; nam, cùm esu fructuum, uti fertur, febriculam, & diarrhæam simul collegisset, nullis sacris, profanisque remediis superabilem, quinta aegritudine cœpta die, felicissimo fine vitam clausit.

In maximo urentis febris æstu seno semper vultu, velut aliud agens, loquebatur, & sana mente, veluti sanus cùm esset, animo tranquillo, & lætô. Ubi verò mortis nuncium quarto die à Confessario accepit, non credebat, id serò agi: moriebatur enim, nec sentiebat se mori: iterum tandem, iterumque monitus, nisi miraculô vitâ donaretur, moriendum esse; conceptis verbis votum

Dei-

Deiparæ Lauretanæ fecit, si vitam illius precibus DEO prorogare placuerit, illuc se iturum; neque tamen vitam aliter se peteret, nisi ut vitam suam quam maximè emendet, & DEO perfectissimè serviat. Superi boni! Quò non excrevisset hæc indoles! Qualis fuisset fervor meridianus, si tanta primæ lucis riserunt crepuscula!

Hæc omnia ea religione, & affectu dixit, ut circumstantes etiam viros, ad uberes lacrymas moveret. Confessarium quoque summâ animi contentione rogavit; doceret modum, quò se Domino suo arctissimè constringere, & amare ardentissimè summum suum bonum posset.

Nec contentus paulò antè conscientiam expiâsse, generali erratorum omnium iterata accusatione totam vitam eluit, ac porrò Domino Parenti utrique pro acceptis beneficiis grates habuit, veniam ab iis, aliis-

que omnibus, quibuscunque in rebus offendisset, petiit, rogavitque, ut pro se eleemosynas in pauperes erogarent; ac propterea totius mundi, ac rerum mundanarum oblitus, cum non sine lacrymis in manus DEI, mortem vicinam indicantis, se consignasset, totum divinis se rebus dedit, inter varios pietatis actus diem, & partem noctis trahens: orationes, si quæ inchoarentur à circumstantibus, ipse omnes absolvit; imò Litanevticas preces aliis ipse praेire voluit. Beatissimæ Virgini, Christo patienti, suisque Sanctis enixè, ardenterque se commendans, diaboli suggestionibus, apertè protestando, adiutum praecclusit. Tandem paulò antè, quam animam exhalaret, altâ, & hilari voce Antiphonam, *Sub tuum Praesidium, & Salve Regina,* decantavit, easque pulcherrimè modulatus, Cygni instar, mortem, Cœlumque cominus salutavit.

Cùm morientis lectulo circumstan-
tes plurimi copiosas assunderent la-
crymas, solus ille inter divinæ volun-
tatis brachia suavissimè conquiescens,
excepit mortem pacatissimus, ut tan-
tò beatior, quò paratior illa seque-
retur: cuius tandem falce succisus,
florem ætatis intulit sepulchro, per-
petuus flos ipse futurus in Cœlo. Cer-
tè viri Religiosi, & seculares, qui
morienti adstiterant, fassi sunt, hujus
adolescentis præclaram mortem do-
cumento esse posse, quì moriendum
sit non Christiano tantùm, sed etiam
Religioso, multos annos inter Mona-
sterii septa recluso.

Jam Salisburgi, & Tridenti Cano-
nicus in spem magnam ab Archi-Epi-
scopo Paride consanguineo educaba-
tur, & amabatur unicè; jam illi blan-
diebantur honores, & deliciæ, & quid-
quid irritamenti habet mundus; his
tamen omnibus posthabitatis, ipse in
animo Religiosum Ordinem ardentis-

simè ambiebat , eumque asperum satis, Reformatorum S. Francisci Seraphici : nec ambiebat tantum , sed secretò fixissimum animi decretum sovebat , eum Ordinem cum ætate ingrediendi , & ad portum Religionis navem appellendi , nisi velificatione mutata , æternæ stationi vitam adverere jussus esset. In quam frugem non ille adolevisset , nisi mors importunior abripuisse ! sed habeat Cœlum suas delicias , quibus terra indigna est.

Cadaver floribus , & sertis contetum curarunt Sodales , multique lacrymas non doloris , sed solatii plenas , lustralibus ad tumbam aquis miscere visi sunt , cuius postmodum vel sola memoria ad virtutem plurimis calcar fuit.



ELOGIUM II.

*Illusterrimi, & Reverendissimi
D. Pauli Ciurleti, Episcopi Biblien-
sis, olim Suffraganei Salisburgi, &
Ecclesiæ Cathedralis Tridenti
Canonici.*

Exoculavit nos atra mors, quan-
do Illustrissimum hunc Soda-
lem, patriâ Tridentinum, Virum sum-
ma virtute, doctrinâ, auctoritate præ-
ditum, anno 1640. 30. Martii repen-
tè nobis eripuit. Fuit is insigne Lu-
men Ecclesiæ, Antistitum Idea, ut
morborum theatrum, sic & patien-
tiæ speculum. Præsul erat, in pro-
pagando Numinis honore, animarūm-
que salute tuenda tam fervens, atque
industrius, quem nulla unquam retar-
darent obstacula, nulli labores fran-
gerent, nulla pericula deterrent. Ab
eo tempore, quô Sacerdotio ini-

tiatus est, usque ad ultimam vitæ p-
riodum totus fuit in habendis ad po-
pulum concionibus, eō quidem animi
ardore, ut in ipsa sella nonnunquam
ad Aram podagricus deferri voluerit,
ut ibi collectis oviculis Divini Verbi
pabulum præberet, quod nōrat tam
ubere etiam sua vitatis sale, tanto ser-
monis lepore, tantà factorum energiâ
condire, ut in arctam virtutum se-
mitam haud difficulter duceret, quos
præclarissimis exemplis prævius tra-
hebat. Emicuit autem in illo ad-
mirabilis hac in parte facundia, &
vis dicendi quædam ineluctabilis,
quam timerent improbi, veneraren-
tur boni, ipsi terrarum principes su-
spicerent, ac admirarentur.

Et, cùm per tot annos in his con-
cionum fluctibus jactaretur, nunquam
inexhaustus ille fons arescebat, sed ut
oceanus, qui aquas Cœlo, & terris
præbet, in suis semper cursibus totus
est, atque integer, sic ille rebus hu-
manis,

manis, ut dare quidem posset, nihil posset deperdere. Nec mirum, si tam diutinus Illustrissimi hujus Oratoris vigor fuit: habebat enim in altissimarum virtutum, pietatis, demissionis, patientiae, charitatis nixus radicibus. Nōrānt Coēvi, quale fuerit ejus cum DEO contubernium, cūm non secus, ac hominum Custos Angelus, in exteriora quidem se difunderet, haberet tamen totus origini suae, & in se undique per reciprocos veluti Divini amoris circuitus remaneret.

Nihil opinonis causâ faciebat, omnia conscientiae: patriam suam Cœlum perpetuò intuebatur, aut Præsides Angelos supra se circumquaque stantes, dictorum, factorumque censores. Vitam omnem existimabat aut supplicium, aut militiam: delicatum verò otium viri hominis sepulturam. Sacrarum Literarum, ac Jurium licet esset peitissimus, perpetuò tamen

in lecto, in sella, in equo libros volutabat; unde apoplexiā tactus est, cùm librum in equo manu prehensum ferret, domum ex villarediturus.

Oraculum fuit consulentium, mœrentium solatium, pauperum perfugium, Religiosorum asylum, Congregationum omnium, quæ apud nos magnō sunt numerō, membrum, & ornamentum. Consulebatur namque passim ut veritatis Oraculum, ad eūmque, cœu Justitiæ asylum, oppressa s̄æpenumero calamitas confudit. Nam sincerum ipsi in causis cognoscendis veritatis studium, in conficiendis celeritas, æquitas in judicandis: cuique suum tribuendi scientiam à Christo hausit, qui solus veræ Justitiæ fons est, & origo. Commune etiam erat pauperū perfugium; illorum quippe miseriis tam promptè succurrere gestiebat, ut, quoties ferè compareret in publico, miserorum, & egentium magis, quàm famulorum

catervâ stipatus incederet, ut nec im-
meritò pater pauperum haberetur.

Cùmque jam à puero magnarum
artium, virtutumque fontes imbibis-
set, quibus prodesse aliquando morta-
libus posset, non se unius hujus Ur-
bis, ac Diœcesis limitibus conclusit,
sed magnô animô in aliarum quoquè
Provinciarum commercium emisit.
Testis Archi-Episcopatus Salisburgen-
sis, quem ille virtutum suarum, sci-
entiarum, & munificentiae radiis non
tam illustravit, quam sœcundavit.

Quo verò affectu esset in Superos,
vel inde liquet, quod Divo Simoni
Martyri nostro præcipuus auctor So-
dalitatem instituerit, abusus irrepen-
tes indefessò studiò sustulerit, Tem-
pla plura Salisburgi, & Tridenti in-
staurârit, auxerit, ornârit sumptibus.
Congregationem Viduarum titulò S.
Annæ instituere conatus est. Auctor
etiam fuit, ut Bacchanaliorum triduō,
& per Quadragesimam sextâ quavis fe-

riâ Venerabile Sacramentum expone-
retur; ut Beatæ Virginis plancus post
Vesperas, uti & Litaniae Lauretanæ
diebus Sabbatinis canerentur; ut cru-
ces ad imitationem Christi Patientis
per Urbem bajularentur, aliisque id
genus pietatis exercitia frequentaren-
tur. Ita Acta. Certè in subsidium
pauperum, Ecclesiarum, Sacerdo-
tum, tot tantisque fundationes fecit,
ut possemus integrum hic earundem
catalogum contexere.

Illud etiam ad hujus Præfulis laudes
pertinet, quod Ecclesiæ jura contra
quosvis intrepidè defenderit. Quam
ob rem opposuit se, dum vixit, mu-
rum pro domo DEI: stetit in Eccle-
siæ propugnaculis, non coronatus, &
mollis, sed pulverulentus, & fortis,
Ecclesiasticæ immunitatis intrepidus,
& acerrimus propugnator. Contra
impietatem, contra vitia, contra tor-
rentem rerum humanarum impetum,
eluctatus est, eō semper animo, ut
aut

aut vinceret, aut gloriosi operis clavum tenentem tempestas obrueret.

Elogium coronet singularissima ejus in Virginem pietas, & amor, quō itā cor ejus exarserat, ut nulla re afficeretur suaviūs, quām quōd Divinissimæ Matri præstare posset famulatum, cui ipse DEI Filius voluntatem submisit. Hujus amoris testes sunt tot Ecclesiæ, tot Mariana Odea ab illo vel fundata, vel exornata. Testis per elegans illud Templum Deiparæ Lauretanæ non procul Salisburgo, & hic suo in fundo erectum, ut semper præstò esset occasio, Matrem suam & salutandi, & venerandi.

Tot, tantaque pro gloria DEI, Deiparæque honore cùm egisset, tandem egit animam, apoplexiâ in tumulum, exiguum intra tempus, dejectus, ut viætrix anima illuc velociūs attolletur, quò tot jam oves præmiserat, non sive duntaxat animæ, sed tot aliarum sibi commissarum custos solertiſsimus.

simus. Hujus Præfulis fatum toti
huic Civitati , atque utinam soli ac-
ciderat admodum luctuosum. Diœ-
cessis quidem orbatam se oculô lamen-
tabatur : Urbes, & Cives justitiæ pa-
tronô fortissimô. Parthenius noster
Cœtus piissimum Beatæ Virginis cli-
entem , pauperes benignissimum pa-
rentem , sibi erectum condolebant.
Omnes morti indignabantur , quod
virum sustulisset , dignum , qui æter-
num viveret.

Et sanè , quisquis hunc Præfulem
vidit , omnibus numeris absolutam
viri perfecti ideam suis oculis obje-
ctam fatebatur , quam Cardinalis Bo-
na jam olim ad vivum descripsisse his
verbis videtur : Virum perfectum il-
lum esse dices , quem videris interri-
tum in periculis , intactum cupiditati-
bus , inter adversa felicem , in igno-
minia beatum , in mediis tempestati-
bus placidum , quidquid cæteri ti-
ment , optantque , ridentem , omnia

tanquam minora transeuntem, nullo bonō nisi suō nitentem, sibi semper constantem, sui semper similem, erectum, excelsum, vacuum sui, & plenum DEO : qui super omnia eminens toti mundo se infert, & in omnes ejus actus contemplationem suam extendit, semper tranquillus, & inconcussus : qui majori suī parte illic perpetuò commoratur, unde descendit : qui nihil optat, nihil quærit extra se, non habens necesse longius accersere felicitatem, quam corde inclusam gerit. Soli DEO operatur, soli DEO vivit, semper abire paratus. En ! imaginem nostri Præfulis vivis coloribus expressam ! Sed hæc perfectio paucorum est. Paucos singula sæcula protulerunt.



ELOGIUM III.

Plurimum Rev. Dom. Francisci
Waitelini, Rectoris Parochiae ad
Sanctam Mariam Majorem
Tridenti.

A Nnō 1643. magno Sodalitatis,
& Civitatis luctu mortalitatem
exuit pientissimus hic Sodalis. Fun-
gebatur officio Præfecti jam iteratò,
honoris Congregationis zelantissi-
mus, in omnibus verum perfecti So-
dalis exemplar adeò, ut Commenta-
rii nostri hanc ei laudem attribuant,
quod nulla existiterit regula, quam sci-
tur violasse. Profectò ea multorum
animis insederat opinio, quod, si re-
gulæ Marianæ intercidissent omnes,
facilè quis eas reperisset, vivum ejus
vitæ inspiciendo librum : ità omnes
perfectè suis moribus expresserat.

Hauserat ille materno jam cum la-
cte tenerum in Virgineam Matrem
affe-

affectionem : quo urgente, cum primum
ætas accrevisset, nihil eorum omisi,
quibus se penitus insinuaret hujus in
amorem Virginis. Atque, cum pro-
bè nosset, cordis, corporisque pu-
ritatem præcipuis eidem in deliciis
esse, mirum dictu est, quantum la-
borârit, ne qua labe ab amore sui pu-
rissimos MARIÆ oculos averteret,
quantum insudârit, hujus ut virtutis
amore, studiisque Matri gratiarum se
proprius commendaret ! Observatus
est à Conventibus Marianis nunquam
abesse, domi cum soli esse liceret,
Marianam corollam manu identidem
versare, quotidie de ejus laudibus ali-
quid legere, profestis Virginis die-
bus populo in Rosarii verba præire,
nihilque prætermittere officii, quô
tantam sibi Matrem deveneraretur.

Nec sui tantum animi in conser-
vando conscientiæ nitore tam solici-
tus custos erat ; ad eandem puritatis
normam exigebat etiam vitam illo-
rum,

rum, quos suæ spirituali curæ commissos in viam veritatis, & vitæ dirigere sedulus Ductor unicè satagebat. Nec paucos sanè animarum manipulos in Cœlesti horreum invexerit per plurimos annos, quibus in vicina Domini laboravit indefessus Operarius. Inter delicias numerabat ille, agonizantibus adesse, ad ægros invisere, eos præsertim, quos ob morborum fæditatem, atque fœtorem, aut propter inopiæ, infimæque sortis conditionem maximè ab aliorum ope destitutos esse sciebat. In hos plenis visceribus charitatem effudit. Inopiæ siæ levamen petebat nullus, cui non prompta manu, promptiore animo eleemosynam largiretur. Quin eò sæpè progressa est Pastoris hujus benignitas, ut in mensa meliores sibi bolos subtraheret, indigentioribus deferendos; dignus utique, qui post mortem Cœlesti accumberet convivio, qui famentem in pauperibus

bus Christum tam delicate habuit ! Verum munificâ hac beneficentiâ , & pietate pauperes non minùs, quām purgantes in lustrico igne animas prosequebatur , erga omnes certè piissimus Pater. Nam præterquam quòd pretiosissimum Agni Sanguinem flammis sibiendi affunderet ad Aram faciens , frequenter defunctorum sepulchra adibat, precatoriâ Corollâ , velut Ariadnæo filo , exulantes in igne animas in Cœlum tracturus. Nec satur eximia hac in mortuos charitate , piâ solertiâ , quos larga stipe donabat, egenos in sancti laboris partem vocare erat solitus , familiari usus tesserat : *Orate pro Fidelibus defunctis.*

Porrò Sodalem hunc modestia singularis mirabiliter evornabat. Rapiens in se omnium oculos , animosque illa incedentis gravitas , illa suavitas loquentis. Quamvis sermone taceret, habitu , & gestu se prodebat. Argumentum virtutis ejus ex minimis li-

cebat capere: vultus, risus, incessus, & flexus oculorum hominem foris ostendebant, qualis esset intus. Sic vivebat, ut omnes agnoscerent, eum ad consortium Cœlitum pertinere. Servabat decorum in motu omnium membrorum, in gestu, voce, & aspetto, ne quid in his effeminarum, & molle esset; ne quid distortum, aut durum. Et quod præcipuum: vera hæc in eo relucens modestia ab animo in corpus; ex interna morum gravitate in superficiem emanabat, ut quasi internam virtutum supellestilem foris omnes inspicerent non sioè fructu. Vir enim modestus vivum DEI simulacrum est: nam solus ejus aspectus intuentes componit.

Mortis suæ conscius ab omnibus est creditus, in qua amantissimæ Matri suæ se denuò totum transcripsit, dum votivam Sodalium formulam manu palpitante, & quasi jam emortua exaravit, nostræque Congregationi trans-

transmitti voluit: quam, quaatum
semper amârit in vita, in morte quo-
que luculenter ostendit, cùm ei pro
prio legato s. florenos submiserit, quô
velut aurea clave dævincta Cœli Ja-
nua MARIA, claves illi, apertos-
que Cœlorum aditus præbuisse non
dubitamus. Igitur cùm facultates
propemodum omnes, ne in potesta-
te mortis essent, in sacrarum Ædium
asylo, sinuque pauperum prudens Oe-
conomus deposuisset, solis jam meri-
tis gravis, peracta totius vitæ inter
lacrymas, & singultus exomologesi,
inter sacra omnia, & sacrorum ho-
minum cohortationes, ac benedictio-
nes, actibus ad Cœlestia sibi consue-
tis constanter usus, ac omnes fortè in
agone occurrentes cogitationes ma-
las detestatus, & contra eas protesta-
tus, se in gremio Sanctæ Matris Ec-
clesiæ mori paratum, cum admiratio-
ne innocentiae, ac probitatis, quam
adstantes conscientiæ arbitri, aliique

contestati sunt , tandem inter vivos
esse desisiit , intérque filios MARIÆ,
ut spes est , vivere cœpit in Cœlo.
Frequentissimo & ipse funere elatus ,
ut omnium benevolentiam meruit vi-
vus , sic mortuus commendationem
accepit.

ELOGIUM IV.

*Plurimum Rev. Domini Caroli
de Rudolpbis Parochiæ Saturnen-
sis Rectoris.*

Tot virtutibus devotissimus hic
MARIÆ cliens inclinuerat , ut
passim in tota latè vicinia S. Parochi
nomine compellaretur. Erat in eo ea
animi simplicitas , ut columbam ; ea
prudentia , ut serpentem ; virtutum
fragrancia tanta , & copia , ut hor-
tum jure dixisses. Pro commisso sibi
grege , velut alter Argus , diu , no-
ctuque excubare visus est vir integer-
issimus , zelosissimus , in sacro Tribu-
nali

nali assiduus, in visitandis ægris perdius, ac pernox. Animum si inspexisses, templum Musarum, sed multò magis virtutum dixisses, ità utralsque pulcherrimo connubio in pectore suo sociavit. Hinc tempus omne, quod ipsi cura animarum residuum fecerat, vel libris, vel orationi consecrabat.

Integras noctes in rerum cœlestium contemplatione fertur translegisse. Semel, cùm famulus fortuitò circa duodecimam nocturnam de strato surrexisset, hero in oratione pernoctante, audiit plenum avium concentum in horto orantis, conclavi contiguo, quō nil suavius in vita sua se perceperisse fatusbatur. Credo ego, quod, cùm Sacerdos hic in hymnis, & canticis DEI laudes concineret, plenò chorò respondere voluerint, vel consimilem Echo reddere & volucres Coeli.

Et ex hoc tam perenni pia commentandi studio enatus est admirabi-

lis in omnibus actionibus ejus fervor,
 & Divini amoris ardor. Ipse corpore
 praesens ad Aram, animo interea Cœ-
 lum obambulabat, incendiō ita pau-
 latim subincrecente, ut lacrymarum
 imbris inundans, verbis interceptis
 diu subinde sistere cogeretur. Re Di-
 vina persæcta, in moram longiorem
 gratiarum actionem ducebat: verè
 magnus astimator maximi thesauri,
 quem DEUS mortalibus donavit; in
 quo tractando quodvis vel fastidium,
 vel incuriam sine magno incommode-
 sciebat esse non posse.

Etiam in Virginem Matrem tam
 præpotentibus amoris flammis cor
 exarserat, ut in promovendo ejus-
 dem cultu, exornandis Aris, inferen-
 disque variis devotionibus, præser-
 tim SS. Rosarii, totus esset. Obser-
 vatus est, illius imagines nunquam
 conspexisse, quin animum ad Divi-
 na excitarent: illius laudibus ita de-
 lestatum fuisse, ut magnitudine vo-

luptatis veluti peregrinaretur à sensibus, & solum MARIAE nomen dulces ei quandoque evocaret. Porro orationem suam, quō Cœlos & certius, & citius peteret, alatam reddere norat, creberima illi jejunia, & eleemosynas jungendo. Perpetuò genium suum defraudabat, ut pauperes ditaret, constanter jejunare visus, ut inopes lautiū cœnarent. Et sanè erga egenos tam misericors fuit, ut iis vesciendis se ipsum penè nudārit. Nam & mendico aliquando in via obvio, ac calc os petenti, eō quod nudis, & malè affectis incederet pedibus, suas crepidas, quæ solæ tunc erant ad manus, obtulit alteri semi-nudo roganti indusium; cùm nullum aliud amplius domi superesset, proprio se se spoliavit, ac dono dedit. His non contenta ejus charitas, etiam ultra vitæ, mortisque confinia excurrit, dum fundationes fecit in subsi-

dium pauperum studiosorum ; quēis perpetuis temporibus alerentur.

Quare, cūm redditus suos, suāque omnia per pauperum præmisisset manus ad Cœli comparandos thesauros, ostendit, quām procul abfuerit ab illis, qui ministrari, non ministrare ; saginari de Altari optant, non sanctificari ; lanam, non oves ; se, non DEUM quærunt.

Nulla re magis ejus zelus commovebatur, quām quando inaudierat inter suas oviculas enata odia, lites, discordias. Evolabat illicò domō ; conveniebat partes dissidentes, horتابatur, obtestabatur, illud identidem alta voce inculcans : *Sol non occidat super iracundiam vestram*, tam prospero quidem successu, ut dicitur, toto Pastorali sui officii tempore, omnem odiorum flammam ipso in ortu suffocasse ; qui tamen pacis ingeniostissimus artifex contra injurias proprias cautes inexpugnabilis fuit.

Subin

Sub in calumniâ affectus, & gratias referebat, & prior veniam deprecabatur. Profecto non multo sanguine se hîc vindicavit, sed, ut non demo inquit, rubore multo. Alias aperta convitia non nisi silentio refellebat, monitûsque, ut læsam auctoritatem vindicaret, præstare, dicebat, iratis flammis demere, quam addere oleum. In quo magnum ille probavit animum, cum his verbis major fuerit, nec ad quoslibet procacis linguae motus commoveretur. Ut ranarum coaxatio lunæ splendori nihil detrahit, sic nec sibi calumnias obesse arbitrabatur, si eas non tam verbis, quam factis dilueret.

Uti in sacro Tribunal erat agnus, sic in pulpito leo, visus contra vitia non tam loqui, quam tonare, quam fulminare, nuquam ardentior, quam cum carnis vitia perstringeret. Nec sine cordis vulnere haec fulmina evolasse, autumo: cum illis pondus ad-

diderit perorantis exemplum. Ut enim in aliis , sic in se quoquè omne carnis inquinamentum extremè oderat. Hinc castitatis vixit tam sedulus custos, ut, cùm fœminas omnes ex animo , præter MARIAM, delefset , cultiorum præsertim , ne aspectum quidem , aut præsentiam ferret, Sirenes has obturata aure sæpè præternavigans; malebatque inurbanior multis videri , quàm proprius scopulum navis suam regere : dicere etiam frequenter solitus : tutius columbrum in sinu ferri , quàm in oculis , in auribus , in animo multib[us] delicias. Hinc etiam factum, ut omnia declinaret convivia : aliorum nempe edocebat exemplō , Castitatem sæpe, pro dolor! inter pocula facere naufragium , neminemque gulæ simul , & castimoniæ posse servire.

Ad extrema deductus , mortis ictum latus, ac ridens exceptit. Causam quæris? Dum vixit, flevit. Mortem

tem in morte non timet, qui in vita timet. Nec poterat mortem timere, qui jam plura sibi eripuerat, quam illa rapiat: & quid tandem eriperet, qui nihil possidebat tamquam suum. Certè illè securus vivit, & latus moritur, qui se singulis diebus effert; cui concessum est vivere vitâ peractâ. Cùm efflâset animam, latus quidam, ac floridus vigor faciem omnem co-honestavit, ipso cadavere animæ felicitatem haud obscurè præferente, in quo etiam longo pôst tempore haud obscura aliqua incorruptionis indicia dicuntur notata. Illum mortuum omnis vicinia itâ luxit, ut unicum hominem omnium humeris crederes efferi. Amisête pueri, ac puellæ Cathechisten gratissimum, Pœnitentes Confessarium charissimum, Parochiani Pastorem zelantissimum, Parthenii Sodalem optimum, omnes virtutum omnium exemplum.

ELOGIUM V.

Illusterrimi, & Reverendissimi
D. Comitis Hieronymi à Wolcken-
stain, Cathedralis Ecclesiæ Tridenti
Canonici, ac Archidiaconi, Pri-
mi Congregationis Majoris
Præfecti.

Annō 1652. funesta mors lumen
nobis extinxit, quod primum
fulsit positum supra candelabrum Con-
gregationis nostræ. Illusterrimum So-
dalem hunc multum quidem a vita no-
bilitas, magis tamen ipse nobilita-
tem præclaris ornabat virtutibus, mul-
tiplicato scœnore decus, quod accepe-
rat, reddens. Hoc ut faceret, felix
illum natura impulit. Habet hanc
supra vulgus prærogattivam nobilium
conditio, nihil ut mediocre tentet, si-
ve vitio, sive virtuti accesserit. Hinc,
cum naturæ ad virtutem sponte sua

currenti calcar insuper adderet, in magnam omnino virtutem est eluctatus, quæ ita omnium oculos perstrinxit, ut dignissimus fuerit judicatus, qui unanimi omnium Sodalium calculo in primum Majoris hujus Congregationis Præfectum eligeretur.

Summa ipsi in moribus compositio, in vultu modestia, in animo virtus: tenerrimus erga Virginem Matrem amor, ardorque ejus honoris, omni, qua posset, natione promovendi. Vivum, spiransque Marianarum Legum exemplar dixisset; adeò in eo uno omnes genuini MARIE filii dotes relucebant: Cujus præcipua, ac constans erga Deiparam devotio hoc Elogio meruit coronari: Hic veri, Germanique Sodalis imaginem nobilissimam Sodalibus hæreditate post se reliquit in illustri vitæ exemplo, quam in assiduis Magnæ Matris obsequiis adeò sedulus traduxit, ut uni Virgini vacasse videretur.

Id quod quām maximē patuit, quando Marianos fasces gessit; tunc enim non contentus consuetis omnibus interesse Marianis Consiliis, idem Consilium suis in aedibus etiam iteratō una in hebdomade cogebat, conferebat, inquirebat in ea emolumenta, quibus adjuta hæc nostra Congregatio ad majorem Virginis honorem, gloriāmque maximē effloresceret, ac suo in vigore perennaret in sæculum sæculi.

Quid jam de ejus liberalitate, ac munificentia dicam Congregationi nostræ impertitâ? In libro illo, ubi Congregatio omnes totius sæculi annotavit Benefactores, iis temporibus, quibus convixit, vix paginam repries, vix in pagina faciem, ubi Illustrissimi hujus Præfecti aliquoties nomen inscriptum non sit, & relicta ab eo sat luculenta suæ munificentiae vestigia. Hujus exemplum videtur permovisse & Illustrissimam ejus Domi-

nam

nam Parentem, quæ pari cum Filio
in Congregationem nostram liberali-
tate cœpit certare.

Parem in pauperes exprompsit li-
beralitatem, ut ipse egere debuisset,
si egere is possit, qui Eleemosynarius
cùm sit, DEI Thesaurarius est. Quot
non personis, quas occulta pauper-
tas presserat, ejus eleemosynis subven-
tum! Quot, ne Divinum Numen
jacturâ pudicitiaæ läderent, fame pæ-
nè confectæ, insperatâ novæ lucis
usurâ ejus operâ respirâvust! Quot
in matrimonium honesta ratione ejus
ope, & consilio collocatæ sunt, quæ
omnem pudorem prostitutione time-
bantur! Quot mortui ejus manificam
misericordiam prædicarent, si loqui
possent! Hanc publicam proin calam-
itatem foyebat assiduè, dum pau-
perum gregibus se miscere, gemen-
temque inopiam, si alia ratione ne-
quiret, indolentis animi sensu solari
inter præcipua illi studia fuit. Quid-

ni ergo patentem Cœli januam inven-
nerit, qui & Cœli Janitores obsequi-
osō nūn minūs animō, quām liberali
manu sibi totām industriè devincie-
bat; Cœlique Januæ, MARIÆ sci-
licet, amicam vlm tot interpositis pro-
se pauperum precibus inferebat, igne-
us amore filius. Sed ut eò, unde di-
gressi sumus, iterum revertamur ad
Marianum ejus zelum, vir tanta au-
toritate, & dignitate, cùm esset,
nunquam abesse Cœtibus Marianis,
nunquam in aliis desiderari se passus
erat exercitiis, sæpius ingenuè con-
fessus, toties sibi pectus præ mellis,
nectarisque copia diffluere, quoties
animō recurreret, Sodalis quòd esset.
Id quod maximè sensit, cùm ad mor-
tis confinia dederetur, ubi se tota
Cœli opulentia effudit, quâ plenus
in Matris amantissimæ manus animam
non minūs à Natalium splendore,
quām virtutum decore illustrissimam
emisit, de quo Sodali illud dixisse suf-
ficiat:

ficiat: tantis illum claruisse virtutum
ornamentis, ut illustre hoc virtutis
exemplar sibi gratulentur Nobiles, So-
dales suspiciant, utrique documento
sibi sumant, atque imitatione expri-
mant.

Cæterum, in qua æstimatione, &
veneratione apud suos fuerit Conso-
dales in vita, sat luculenter patuit
post mortem, cùm de efferendo pro-
priis humeris funere etiam inter So-
dalium nobilissimos certatum sit. Al-
tera post obitum die ex unanimi Ma-
riani Magistratū sententia extraor-
dinarius ejus honoribus conventus est
habitus, & Oratio funebris in demor-
tui laudes copiosissimè excurrens, ac
postmodum solennes Exequiæ erector
pereleganti funebri peggiate celebra-
tæ. Hoc ei honoris Monumentum
ideò ponere voluit Congregatio; quia
Sodalis exstitit non tam à Præfectura
Mariana omnium prima olim gestâ,
sed magis à claritate pietatis, & mu-

nificantiae in Sodalitatem impenæ laudissimus. Et certè quæcunque sub id temporis, & prima erectæ Congregationis exordia piè, ac præclarè à Sodalibus in communi gesta sunt, eorum omnium gerendorum ipse aut princeps, aut pars præcipua, aut instrumentum egregium fuit. Hujus virtute, & exemplo Illustrissimo invitati alii, hujus constanti ad functiones Sodalitatis præsentia, hujus vigilantia ad ejusdem utilitates, & honorem factum est, ut plurimum se se illi ipsa debere jam ab ipsis suis incunabulis pridem confessa sit, atque etiam agnoscat; vir dignissimus, quem inter maxima sua decora, & Benefactores insigniores Congregatio ista perpetuò numeret.



ELOGIUM VI.

*Illusterrimi, & Reverendissimi
Domini Josephi Ghelff, Cathedralis
Ecclesiae Trident. Decani.*

ANNO 1668. luctuosum funus Congregatio nostra extulit, ac magnum illud, non modò ornamen-
tum, sed planè columen Sodalitatis nostræ. Fuit vir incomparabili do-
ctrina, prudentiâ eximia, insigni gra-
vitate, & quod omnia compendio in-
volvit, virtute singulari, imò sum-
mâ ornatus. Sodalis existit ad amus-
sim exactus, cultor Beatæ Virginis
omnibus oumeris absolutus, pietate,
observantiâ Regularum, Conventuum
frequentatione nulli, quantumvis in-
firme conditionis, secundus, omni-
bus speculum. Porro, quæ singula
zelantem animarum Curatorem ma-
jorem in modum commendant, in eo
em.

emicuêre universa. Dominabatur ejus animo virtutum cæterarum Regina Charitas, cuius imperiô & auspicijs agebat omnia, quæ suam, Proximique salutem concernebant. Cùmque amantium mos sit de deliciis suis frequenter cogitare, cum iisque misere sermones, præsentis Numinis recordatione animum jugiter imbuebat, pérque divinas precatioñes crebra cum DEO conferebat colloquia. Argumento sit, quod suis in ædibus, omnium portarum superliminaribus pias sententias, quæ etiamnum exstant, jussit inscribi, atque insculpi, ut iis perpetuò in oculos incurritibus, mens ad superna attolleretur.

Nihil erat negotii, quod à stata precandi consuetudine ipsum dimoveret; habebat enim persuasissimum, gravius negotium non esse, quam quod cum DEO circa animæ salutem pertractatur. Hinc etiam originem suam traxisse creditur nobilis ille in hoc Soda-

li rerum caducaram contemptus : nam divitias, è quibus tot mundo na- scuntur mala, è contempsit genero sius, quod iis tenaciùs incauti mortaliū animi vulgo adhærescunt : omnes enim in causas pias profudit, dignissimus utique, qui post mortem Cœlestibus afflueret divitiis , qui in vita amore DEI perituras contempsit.

Ex eodem Orationis studio emanârit procul dubio admirabilis illa, quæ ex omnibus Illustrissimi hujus Sodalis actionibus eluxit, animi demissio. Indicio sit, quod, cùm semel unanimi suffragio in Congregationis Præfectum electus esset, ipse tum præsens ad Marianum Coetum conversus, hunc honorem deprecatus sit , iis adductis, quas humilitas suggesserat , rationibus , ut Consilium Marianum in sua vota inflexerit ; quod ad novum procedens scrutinium, alium elegit, atque substituit.

Cæterum, quām altē ejus cordi
Marianus amor insederit, inde colli-
ges, quod identidem verba Angeli Sa-
luntantis *AVE MARIA* in ore re-
volvere auditus sit. Ut eundem quo-
què Virginis amorem in plurim pe-
ctora infundere valeret, piis primūm
allocutionibus ejus colendæ stimulus
Domesticis addebat: Deinde, quibus
locis eum morari contigerat, rārā mu-
nificentia ejus cultum ubique impen-
sissimè promovit. Instauravit, & or-
navit Templa Virginis, cui dudum
cor suum templum fecerat, & omni-
um corda Beatæ Virginis sacraria esse
optabat. Ad hunc denique gratiæ
thronum in dubiis, in periculis, in
angustiis confugiebat, nullum un-
quam ausus aggredi negotium, nī
MARIÆ prius opem supplex implor-
āsse, sinè qua nihil, cum qua om-
nia prosperè geri est arbitratus.

Eminebat præterea in eo admirabi-
lis quedam mentis serenitas, affabi-
litas,

litas, & comitas. Nulla illum injuria, nulla procacium subinde hominum contumacia à quieto mentis statu de-
jiciebat; facile perferre omnes, ac pati, cum quibus erat; iis se se dedere, eorum obsequi studiis, omnium benevolentiam, & amorem sibi conciliare. Et sanè modesta oris affabilitas, amabilis oculorum quies, elegans gestuum omnium tempéries clavis est cordium, quā pectus etiam aheneum certius, quām ulla ma-
china reseratur. Ad captivandos amo-
re animos nullus potentior affabilita-
te est Archistrategus. Nemo tam fe-
rus, qui non capiatur humanitate:
sermo amænior, & oculus serenior
etiam ex dura rupe benevolentiam,
velut reciprocum echo, provocat.
Hæc una innocens est magia, quā
homines incantantur.

Hanc affabilitatem, & comitatem longè illustriorem fecerat ejus in om-
nes munificentia. Opum, & operum
splen-

splendore perinde clarus, ut fortunas suas extra fortunam poneret, in pauperum abdidit sinu; sempérque affluentibus, & effluentibus copiis, sibi frugalis, illis frugifer, humanæ sortis inæqualitatem Christianâ munificentiâ peræquavit. Quoties ille non ingenitæ nobilitatis instinctu occultam ingenuorum inopiam occulta sublevans manu, verecundas preces furtiva liberalitate sic anticipavit, ut beneficium illi agnoscerent, non beneficium: dignissimus proin, quem divites imitentur, avari erubescant, pauperes venerentur, próque illo, quem nunquam frustrà rogavêre, perpetuò rogent.

Sed nîl magis ità viri præstantiam manifestam fecit, ac mors, in qua & virtus, & pietas, quam in vita collegerat, totam vim, conatûmque exeruit. Ecclesiæ Sacra menta percepit tenerrimo pietatis sensu, Salvatorisque clementiam, quem prope diem

diem esset Judicem habiturus, ardentissimis implorabat votis. Morientium Patronæ, ut divinum Judicem sibi redderet placatum, preces admovit, lacrymis, & suspirii permixtas. Gravissimos morbi dolores invictâ tulit patientiâ, expurgari in hac vita cūpiens, ut in altera citius in summi Numinis amplexus possit involare. Obiit proin pientissimè, non ignotus æternitatem ingressus, ad quam tot opes præmisserat.

Illacrymati sunt ejus morti, quotquot literarum, & virtutis sunt æstimatores, in quo amisit Illustrissimum, & Reverendissimum C. pitulum singulare decus, mendicabula Patrem pauperum, tota Urbs eximum ornamentum, Scholastica Juventus munificentissimum Patronum; nam pro summo suo zelo, ut Literarum studia magis, magisque semper efflorescerent, & ex hac Urbe, velut totius Dioecesis Seminario, omni scientia-

rum genere exultissima capita in vineam Domini emitterentur, Gymnasi Discipulis præmia pro coronide cuiusvis anni distribuenda fundavit: Congregationem donis pretiosis, sed magis virtutibus, & exemplò ditavit; vir dignissimus, cuius apud nos memoria in benedictione sit sempiterna.

ELOGIUM VII.

Prænobilis Domini Francisci Trentini, Serenissimi & Reverendissimi Archi-Ducis, & Episcopi Tridentini Sigismundi Consiliarii.

Annus 1668. Sodalem hunc nobis ademit, qui jure merito clarissima inter Sidera Sodalitii nostri numerari potuit, sive scientiarum, sive virtutum omnigenarum splendorem in eo miremur; siquidem tam eximiam rerum scientiam cum iis virtutum

tutum conjunxit ornamentis, ut dubium reliquerit, doctiōrne fuerit, an verò pietatis studiosior.

Jurium cum primis eloquens interpres cùm esset, de hoc potissimum laboravit, ut animæ suæ causam, à qua ipsa penderet æternitas, coram summo Prætore feliciter defenderet; atque ut ante eum minimè compareret trepidus in administranda republi-
ca, id solùm spectavit, quid Jurium, quid æqui ratio postularet; probè gnarus, non alios ad supremi Judicis præsentiam algere magis, & contremiscere, quām eos litium disceptato-
res, qui nullo Numinis timore, nullâ legum reverentiâ, linguam auro, non Themidi consecrâissent. In opum cau-
fas eò promptius defendendas suscep-
perat, quòd non ignoraret, lites pa-
tronis non raro destitui, si laborum,
non auri sint feraces. Hinc passim ei negotia committebantur, etiam à Viris Principibus, in quibus omni-

bus ità se gerebat, ut illo nullus esset in suscipiendis cautior, in promovendis diligentior, in tractandis consideratior, adeò, ut velut publicum quoddam consiliorum oraculum haberetur.

Cùm autem tota ejus vita justi, & æqui esset tenacissima, & omnibus semper opulentiorum muneribus se præberet inaccessum, ità pariter erga pauperes prorsus animum induerat Patris; eorum inopiæ sæpè succurrebat, antequam rogaretur, satis rogari existimans, quod charitas postularet. Certè suo tempore habitus fuit velut commuue paupertatis refugium, & patrocinium.

Prima illi semper cura fuit, affectus sic omnes componere, ne quid interni molirentur unquam dissidii, unce serenus animi status, & mala- cia, turbaretur; idque continuâ sui victoriâ ità brevi consecutus est, ut sive blanda, sive aspera se se daret fortu-

fortuna, utriusque vicissitudinem eadem oris, animique hilaritate semper exciperet, incertis adhuc omnibus, quibus proprius admirari contigit hanc hujus viri virtutem, num in ista senior, vel in illa steterit modestior. Hinc & insuaves hominum mores ipse mira urbanitate delinivit, quod præoptaret, dignitatis potius, quam internæ pacis vel exiguam inire jacturam.

Quid jam hic ego commemorem ejus Marianum zelum: dixisse sufficiat, Sodalem fuisse, & Cultorem Deiparæ omnibus numeris absolutum, Regularum observantiâ, Conventuum frequentatione nulli secundum. Marianos fasces cum gerret, magis præluxit exemplò, quam officio. Singulis octo diebus Sacratissima Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacraenta frequentavit devotissimè. Diebus autem festivis toto ferè manè in Templo plerumque commorabatur,

tur, & pomeridianas pariter horas in diversis Sacris Aedibus traducebat. Testantur Mariani nostri Commentarii, quod ultimô Bacchanaliorum triduô coram Numine Eucharistico, pro more tunc exponi solito, observatus fuerit aliquando quinque horas continuas invariato corporis situ, flexis genibus, & erectis ad Cœlum manibus perdurâsse, ac orationi vacâsse.

Modus surgendi, manè, ac vesperi decumbendi, statu ordine, ritûque fiebat devotissimo. Orationem vocalem & in Templo, & domi protrahebat longissimam. Quotidie semel pensum Rosarii Mariani decurrisse ne utiquam sufficiebat: iterabat id ipsum saepius. Ab iisdem Magnæ Matris obsequiis noctem auspicabatur, non antè ad quietem se se recipere solitus, quam precum bene longarum debito, quod devotus Patronæ suæ cliens obstringebatur, se exsolvisset. Atque

ut sonantiorem illi melodiam instrueret, chorūm ē domesticis cogebat, quem suō ipse exemplō animavit, præiens frequentissimē id auctoritatis vir clara voce usitatas ē Corolla precatoria, aliásque plures in Augustissimæ Matris honorem conceptas preces.

Et hæc devotionis studia Filiis suis visus est non tantum alijissimē impressisse, sed etiam quasi hæreditaria reliquisse. Elatum est non ità pridem sub oculis nostris funus Prænobilis, & Clarissimi Domini Jacobi Trentini, Jurisprudentiæ Doctoris, ac quondam Congregationis nostræ Præfecti zelantissimi, qui tanti Patris filius fuit haud degener. De hoc viro paucis cum veritate affirmari potest, totam ejus vitam perpetuum fuisse Orationis studium. In testem hic voco totam Civitatem, an ullum fuerit Religionis exercitium, quod ille non sua anima vix presentia? an non viderit senectio-

nem hunc, nonagenario proximum, tota die, etiam inter nives, & pluvias, inter ventos, & frigora, ab una Ecclesia properantem ad alteram, ut adeò ultimò seniò fractis pedibus vires addere alius non potuerit, quām singularissimus pietatis fervor.

Visitatis tota die Templis, domum redux ad Oratoriolum suum revolabat, ubi flexis genibus in seram usque noctem orationem protrahebat, hunc precandi ardorem continuans usque ad extremam longissimæ vitæ periodum. Obiit piontissimè ; nam dolores acerbissimos, mortis prodromos, vultu tam placide, menteque tranquilla exceptit, ac si ad alium doloris sensus pertine-ret.

Alter verò Filius, Prænobilis, & Clarissimus Dominus Simon Trentini, Jurisprudentiæ pariter Doctor, qualis, quantisque fuerit, novit Civitas universa : cuius de hoc viro ea fuit opinio, eum non sibi, sed bono publi-

publico natum: adeò omnia sua comoda Reipublicæ emolumentis posthabuit. Præcipuè verò in eo effulgit amabilis humanitas; nihil in eo morosi senii; nunquam indignari, nulla de re queri auditus; nemini irascebatur, semper serenus, columbâ mitior, & omni oleo mollior, omnibus lenissimus, nulli non beneficis. Porro modestiâ morum, animique vixit ea submissione, ut eum omnes in oculis, animisque ferrent, nec pessimi ei male vellent. Magneticum hoc amoris arcanum est, ut, qui amat omnes, pariter ab omnibus redametur. Echo nempe Charitas est; reddit, quem accipit affectum. Alia hic non addimus; cùm viri hujus, uti & aliorum præstantium Sodalium virtutes, & decora aliò locò, & fusiore calamò sint referenda.

Sed nos ab ornatissimis his tot virtutibus Filiis ad Patris laudes pertendas revertamur, qui tantò laude

erat dignior, quantò laudes humanae pejus oderat. Submissioni enim animi, quæ virtutum omnium thesaurus, ac fundamentum est, impensè deditus, tam studiosè publicam lucem, laudémque defugiebat, quanto ardentiùs alii prensant. Argumento sit, quòd, etsi in eo scientia, & virtus pulcherrimò quasi connubiò illigatae fuerint, tam profunda tamen mentis demissione se ipsum abjecerit, ut, cùm aliquando eo tempore, quò Marianus Magistratus Tridenti instaurandus esset, absens in Aula Oenipontana Principis sui negotia pertrahet, humanissimas ad Congregationem nostram dederit literas, quibus enixè expetiit, sibi officium vel Lectoris, vel Janitoris reservari. Crederes, quòd eum humilitas in alterum Protheum transformârit: adeò aliis, aliisque semper Mariano in Odeo apparuit. Jam Marianis in theatris virtutus inter adolescentes actor; jam

in erigendo pegmate scriniarius, aut faber lignarius : verbô amore Virginiſ omnibus omnia fieri voluit vir in ea au&toritate constitutus, ut iſpis Principibus, ac Archi-Ducibus ejus virtus, ac ſcientia eſſet in pretio, ac veneratione.

Demum ad vitæ metam delato, novam invictæ patientiæ palæstram fortissimo, & in adversis multūm exercitato pugili aperuit ultimus, quō consumptus eſt, morbus, qui acerbis in eum doloribus invectus, meritorum iſpius coronam plenè contexuit. In eo poſt ſuscepta Ecclesiæ Sacramento, ô bone JESU ! identidem ingeminans, Christi in Crucem ſuffixi vulnera millies eſt oſculatus, pectus præſertim vulnere, & amore fauicium, in quod etiam circumstante Sacerdotum animam DEO commendantium coronā, supremum ſpiritu m effudit : atque ita de mortali vita viſtor excessit, ut denarium di-

urnum cum ingenti fœnore acciperet
egregius in paucis MARIAE stipen-
diarius, dignus profecto, qui & co-
renam Justitiae cursu consummato ex-
ciperet, & Matris Misericordiae dul-
cissimo sinu exciperetur, quia verèju-
sus, verè misericors.

ELOGIUM VIII.

Prænobilis Domini Ludovici Voltolini.

INTER eos, quos anno 1686. Beatorum consortio procul dubio ad-
scripsérunt candida æternitas, numera-
mus haud immerito hunc Sodalem
nostrum, sæpiùs Præfectum Congre-
gationis ferventissimum, & Regula-
rum custodem integerrimum, exi-
mium sanè urbis speculum. Suo tem-
pore gemma Sodalitii nostri semper
habitus fuerat, & appositè, nempe
ut lucere posset, quotidie splendorem
è plurium horarum oratione, & fa-

mili-

miliaritate cum DEO hauriebat ;
 quanquam cæteroquin vulgare nihil,
 sed summa omnia in ipso, & impri-
 mis prudentia , animosque flectendi
 mira gratia emicaret. Unde, cum
 ad suprema illa Congregationis mu-
 nia iteratò admotus esset , adeò sapi-
 enter fasces Marianos, & se ipsum ges-
 sit , ut cunctorum oculi vel solum
 aspectum ejus , ne dicam , nutus ,
 imperia , & exempla aucuparentur.

Matutinum tempus ferè totum in
 Templo nostro transegit , plerumque
 senas , sæpiùs plures audire Missas so-
 litus , non ignarus , incruentum Missæ
 Sacrificium aurifodinam esse , ex qua
 gratiarum omnium thesauri eruuntur.
 Porrò conscientiæ erat tam illibatae ,
 ut ad nomen solùm peccati venialis
 cohoresceret. Ut oculi servorum in
 manibus Dominorum , sic amantium
 in manibus amatorum. Nihil inter-
 mittitur , quô placeas , nihil admit-
 tur , quô vel offendas , vel displice-

re possis. Hinc etiam factum, ut vel minimas suas actiones singulari quodam spiritus fervore, & perfectione perageret, nihil tantum esse arbitratuſ, quō amplius digna non sit veneratio Divinæ Majestatis, & amor DEIPARÆ. Non ignorabat, in schola virtutis ponderari actus, non numerari; formam dare esse rei, non materiam; vel lineam plus valere Apellis, quam mille imagines alterius, qui tabulæ colores illinire contentus, quos, non quomodo pingat, obſervat. In omnibus viſus est pingere æternitati. Et verò in his ipsis suis actionibus unius DEI gloriam quæribat, semper in Cœlum collimans, unicum scopum suum, sed Christiano homini, ut non aberret, sat magnum. Ut Soli oculos indulget aquila, ità unum cor suum in uno defixum habebat DEO. Evidem diffīcile est curis non distrahi, & mente immobiliter in DEO hærere: sed quod

quod potuit in acu polari natura, in eo potuit & gratia, perenni orationis studio juncta. Quocunque volvatur acus, seu sudum arrideat Cœlum, seu minetur turbidum, à polo non dimovetur ; sic ille inter prospera æquè, ac adversa Orationis adminiculô mobile naturæ immobiliter fixerat. Beata mens ! quæ Olympi montis æmula, tempestatibus quidem obnoxia est, sed vertice super has altior, perpetuam alit serenitatem. Hæc mentis ejus in DEO fixæ felicitas erat. Quòd si quandoque gravioribus, ut fieri amat, incesseretur injuriis, has aut alta mente despexerat, quod exercitati Herois est, aut ità saltèm moderatè tulit, ut vox nulla indignior unquam exciderit, quod viri sapientis est, casus in omnes dominantis. Hæc morum tranquillitas, cùm in senium vergeret, pulchriùs eluxit. Est enim querula senectus, idque nævi summis quoquè viris inhæret. Ni-

hil tamen de illius comitate serietas,
& innata gravioribus annis severitas
detraxit: sic animum semper in po-
testate habuit, exemplô etiam in sa-
cratis DEO hominibus admirandô.

Qui primos itâ DEO amores con-
secraverat, alteros Augustissimæ Cœ-
lorum Reginæ devovebat, quam non
tantum quotidianis aliquot Rosario-
rum pensis venerabatur constantissi-
mè, sed singularibus quoquè Religio-
nis, aliarûnque virtutum exercitiis
sibi devinxerat; quod quam maximè
præstítit in lectulo suo mortuali, ubi
ejus in Virginem amor locum nactus
est copiosius elucescendi; nam ibi
frons, oculi, lingua, gestus nîl ali-
ud spirare videbantur, quam MARIA.
Jámque mortis momentum
aderat, cùm inusitata quadam ratio-
ne, cunctisque, qui aderant, ad-
stupentibus, cantu elatiore ingemi-
navit, *Sancta MARIA*: quæ verba
tam lata fronte est prosecutus, ut
de

de spe melioris vitæ, tum ab illo velut prægustatæ, nemo dubitârit. Ad extremum oculis in effigiem Virginis defixus, hæc verba identidem repetere auditus est : O quâm bonum est, Magnæ Matri in vita famulari, abstractusque à præsentium rerum sensu, inter gratulationes exspiravit, præmiisque tam boni famulatûs potitus est. Quod qui exoptant, servitiis Marianis libenter se addicant : Dominis enim merces non datur, sed servis.

ELOGIUM IX.

Plurimum Rever. Domini Joannis Viviani, Parochiæ ad S. Mariam Majorem Tridenti Rectoris.

A Nnō 1703. mortalem vitam cum immortali commutavit insignis hic Magnæ Matris cultor, & Sodalis ferventissimus, à teneris jam annis Congregationis obsequiis addi-
ctissi-

Etissimus : Officiator , aut Assitens
in solennibus Sacris perpetuus , Pa-
stor animarum tam eximius , ut du-
bites , fueritne ovium suarum aman-
tior , an amatius magis ab ovibus ,
quibus se , suaque omnia devovisse
visus est .

Augustissimæ Patronæ suæ , cui se ,
suaque omnia debebat , per totum vi-
tae decursum pro viribus gratum se
præbuit : Sodalitatis enim Partheniæ
emolumenta impensisssimè coluit , ac-
etiam , si foret necessitas , propugna-
vit ; alios hortatu , rogatu , imò non-
nunquam objurgatione ad frequen-
tandos Conventus urgebat , objiciens :
quo jure in Annui Sacramenti instau-
ratione MARIAM vocare possint Do-
minam , Matremque , si nihil obse-
quii , nihil filialis amoris illi exhibe-
rent ? Sed quos verbis non potuit ,
exemplis in amorem MARIAE trahe-
re nitebatur . Nam & Corollam pre-
catoriam saepius quotidie eo pietatis
ardo-

ardore, eo devotionis æstu domi, in Templo, etiam in via percurrit, ut stuporem injiceret spectantibus; & jejunium Sabbatinum non modò sibi inviolabile, sed etiam aliis exemplō suō minimè jejunà Suadâ persuasit.

Cæterūm viri hujus, annis juxtā, & meritis gravissimi, si nullum aliud extaret ornementum singulare, sufficeret una illa morum simplicitas, & aperta semper sinceritas, suave illud amoris illicium, & amabile munimentum. Hac ille, ut amabat omnes, ita vicissim amabatur ab omnibus, ut non tam honorârit ipse virtutem hanc, quam ipsum vicissim honorârit hæc virtus. Nihil unquam vafre, nihil subdolè (ceu per est familiare hodierni sæculi, gentiléque vitium) molitus erat, sed totam, quod dicunt, animam circumferebat in manibus, nosci facilem, & inspici vitream. Traxit hoc unum fons hic illimis è fucatis mundi technis, ut eas cognoscere,

se, & odiſſe posset. Quæ res mirum
in modum suos in vinea Domini la-
bores promovisse visa est ; nam illa
comis humanitas , & sincerissima
agendi ratio faciles illi aditus in om-
nium animos patefecerant, ut eò ex-
peditiūs instillaret salutis monita ejus
animarum zelus , qui illum impulit ,
ut mira solicitudine , & affectu planè
paterno Gregem Dominicum semper
foverit, minimè mercenarius Pastor;
nam in deliciis numerabat etiam rigi-
dis brumæ, ac noctis intempestæ tem-
poribus ad moribundos acciri ; ad
ægros verò per frequenter invisere
ipse ultrò solebat , ad eos maximè ,
quos ob morbi , vel ulcerum fœdita-
tem, aut inopiæ calamitatem ab alio-
rum ope præ cæteris destitutos sciebat
cum amplissimo fœnore tam ingenio-
sa charitatis. Certè in hos tam pius
fuit, ut etiam jejuniō sibi indictō ad
inopes reficiendos aliquid comparce-
ret ; sed nimirum fœnus à nullis ma-
gis,

gis, quām ab his ipsis, qui reddere nihil possunt, sperabat.

Atque itā in extremum usque senium nūl aliud habuit in votis magis, quām se totum impendere bono, & saluti animarum, in quam tamen sapientissimē se non more canalis, nūl sibi retinentis, sed pérennis instar fontis effudit, sempérque primam sui, solidæque virtutis curam habuit: unde solenne fuit prudentissimo viro, temporis aliquid suis occupationibus suffurari, se sibi reddere, &, quæ propria est Sanctorum nota, solus cum solo DEO familiariter conversari, & religionis vacare exercitiis. Magno Indianum Apostolo Sancto Francisco Xaverio itā erat addictus, ut quotidie primo Sacro, in ejusdem Templo celebrari solito, interfuerit æstivo perinde, ac hiemali tempore; à qua quidem devotione non illum morabantur longō seniō jam fractæ vires, non cadentes densissimæ aut nives,

aut pluviæ, non viæ glacie, aut te-nebris obsitæ, nulla negotiorum mul-titudo. In ejusdem Divi festa luce, cùm Sacrum in Xaveriana Ara cele-braret, post Sacræ Hostiæ elevatio-nem animi deliquum passus est, qui jam à tot annis Xaverianis languebat amoribus. Sed fomentis recreatus tandem Sacrum absolvit. Exin gra-viter decumbens, incredibile dictu est, qua animi alacritate vicinam mortem exceperit! Non eam refugere, sed obviām properare; non aversari, sed invitare; non trepidare, sed jubilare visus est. Nam totum tempus in le-ctulo suo mortuali inter pia cordis ju-bila, & sacros cantus exegit. Nec mirum: lætus ille mortem excipit, qui ad illam se diu composuit. Effe-cerat eam sibi assidua cogitatione fa-miliarem, ut venientem alaci animo exciperet. Ut satis vixeris, non dies faciunt, non anni, sed animus exire gesti-

gestiens, & ad originem suam revolare.

Cum Sacrum Viaticum afferri expetiisset, illudque proprius domo abesset, in dulces modulos prorumperre auditus est cygnus suavissimus, sui que funeris praecentor: nec antea notum illud, *Pange lingua*, canere desit, quam spirare. Observatum est, eum habicium, & formam, demortui fuisse, ut nemo mortuum crederet, nisi qui immobilem aspexisset. Ejus corpus Templum MARIAE, animam procul dubio ejusdem sinus exceperit. Quid addi ad felicitatem talis mortis potest?

ELOGIUM X.

Plurimum Rev. & Clarissimi
Domini Valentini de Bernardis, Examinatoris Profynodalis.

ANNO 1719. vitam clausit Soda lis hic sapientia, & doctrinâ,

virtute, & zelo animarum tota Dioœcesi celebratissimus, & olim Congregationis nostræ Præfœtus ferventissimus. Fuit hic staturâ quidem corporis parvus, de cætero per omnia magnus, &, licet pedibus in utramque partem claudicaret, multis tamen præcucurrit ad sublimem virtutis apicem. Jam à teneris annis prodidit egregiam indolem, miram animi capacitatem, pulchrè mixtam indefessæ industriæ, dignamque, de qua decer- tarent, & ex æquo sibi partirentur, virtus, & scientia. Noluit tamen di- vidi simplex, ac rectus animus: ta- lem utrique se tradidit informandum, ut totus utriusque diceretur. Ille jam tum cæteris, sive modestiam exige- rent, exemplo, sive honestatem re- quirerent, documento, sive rerum mortalium contemptum, Cœlestium verò desiderium optarent, incitamen- to fuit. Is etenim habitus ab omni- bus, talis omnino fuit, quem nemo

nostrūm vidisset ullius iracundiæ motu perturbatum, nemo sūi, quamvis omnia circum verterentur, dissimilem. Eundem odiſſe poterat nullus, nisi qui virtutem priūs ipsam infensè abdicāſſet. Nullus illum respicere, quin viri innocentiam oculis suis videre arbitraretur.

Media ſæpè nocte MARIAM veneratus, tum demum libros ante ejus imaginem leſtitavit, non nescius, ex hujus potissimum uberibus divinæ Sapientiæ rivos ſcaturire. Et ſanè jam à teneris Acta Sanctorum legere gaudebat, ſed &, quod pauci facimus, facere gaudebat, quæ legerat. Vitam Divorum, ſpeculum ſuum dicere erat solitus. In hoc dum oculos ſuos defixit, alterum nobis ſpeculum ecce vitam ſuam dedit, in qua conſtanter de virtute in virtutem i viſſe viſus eſt: ſed quâ viâ uſus? Examiniſ particularis uſum ſibi quâm familiariſſimum reddiderat, eundem etiam

suis Pœnitentibus perpetuò inculcare
soli us. Summo manè virtutem ali-
quam singularem interdiu exercen-
dam sibi proposuerat, Apellæum il-
lud: *nulla dies sine linea* (virtute pu-
ta) sibi constanter inculcans. Cer-
tam virtutem eligebat, cui ex propo-
sito insistebat sacræ Asceseos peritissi-
mus Magister, non ignarus, quem-
admodum, qui duos inseparatur lepo-
res, neutrum capit, ità qui sine or-
dine, ac certa lege virtutes uno om-
nes impetu persequitur, laborem ma-
gnum sumere, fructum exiguum ca-
pere. Proin unam aliquam delige-
bat, cui præ cæteris operam impen-
debat suam, quam & noscere peni-
tus, & usu continuo propriam facere
studebat. Et existanta in ipso vir-
tutum incrementa, & ornamenta.

Adultior annis, ut virtute, ità &
austeritate corporis crevit, nullum in
hac sibi modum positurus, nisi ab
aliis inhiberetur: hinc non raro clam
ex

ex ejus lecto eruta cilicia, & flagra
colore suo puniceo sat indicabant,
quid cum hero suo facere consuevi-
sent. Frequenter scamno, solove
excipiebat somnum, ingratum ani-
mæ exactorem, & pretiosi temporis
furem multandum, non mulcendum
ratus. Et sanè tam duriter vixit, ut
præter cutem, & ossa vix quidquam
hominis jam haberet, eò rectius An-
gelus dicendus, quò minus jam car-
nis illi erat. Hinc spiritu plenus,
non cucurisse, sed volasse visus est
in messem animarum. Circa hos duos
cardines perpetuò ejus vita vertebar-
tur, vel circa culturam animi pro-
prii, vel circa culturam proximi. Mi-
ra in eo animos ab humanis avellen-
di, & trahendi ad æterna ars, & dex-
teritas. Eloquentiâ suâ, quo cunque
voluit, totam concionem impellere
novit. Nec mirum: suos non tam
ardenti ex pulpito alloquio ad pietas-
tem incitavit, quam potenti ubique

virtutum exemplo animavit. Quis enim aliás fructus ? dum ædificamus , & simul destruimus , illud verbo , istud opere. Qui malè affectis vult mederi , non subsit affectibus. Prius est sibi cavisse , quām aliis. Malè corrigit ipse corrigendus ; culpā vacet , qui culpas vult eluere. Hinc ille nihil dixerat , quod priūs non fecerat. Solitus etiam erat , priusquam pro concione diceret , per longum temporis spatiū coram Eucharistico Numine in genua pro volutus cum fructu , & ardore dicendi gratiam supplicare ; probè gnarus , audientium animos accendere non posse Oratorem , qui non prior ipse ab hoc amoris fonte diviniores flamas hauisset. Hinc etiam tanta animarum messis ab eo collecta non tantū in pulpito , sed etiam in sacro tribunali , in quo à summo manè in serum usque vesperum à frequentissimo omnis ætatis , & Ordinis Pœnitentium concursu

non

non tam obsidebatur, quam premebatur. Et quidni? Cauti hi Pœnitentes, uti corpus, ita & animam non cui-libet Medico fidendam arbitrabantur. Quærebant optimum virum, doctum, & probum: probum, qui vellet; doctum, qui posset mederi: probum, qui manum porrigeret adjutricem; doctum, qui ostenderet pericula, insidias detegeret, & in ancipiti pugna instrueret ad victoriam: probum, qui non castigaret errantem, sed emendaret, cujus vita plus oculis, quam auribus probabatur. Et sanè erat ille tam facilis in audiendis pœnitentium criminibus, ut plus Patris, quam Judicis adferret ad tribunal. Imò pœnitentium dolori ita frequenter condoluit, ut prior ipse lacrymas daret, optimam semper peccantibus medicinam.

Atque ad ejusmodi Christianæ charitatis exercitia se ipse inflammabat Perenni orationis, meditationisque

studio, & præsertim S. P. Ignatii Sacris Exercitiis, quôvis anno ab eodem obiri solitis, quorum ipse non tantum æstimator erat summus, sed & encomiastes, & promotor in paucis eximius, identidem dicere solitus; quisquis divinis incalescere cupit, hunc ignem accedat, necesse est, atque inde ignem accendat suum. Nec immeritò: hæc enim spiritus officina, hæc Manresana specus aperit virtutis Academiam, ubi Magister Crucifixus, Cœlum, & terra liber, studium est meditatio: hic, qui doctus est, verè sapiens est. Incredibile autem di-
ctu est, qua spiritus contentione, quo animi ardore, quam accuratâ ad omnes legum apices observantia se se iis ipse impenderit. Hic unius DEI amoribus vacare, hunc lacrymis poscere, anhelare gemitibus, precibus orare, jejuniis cogere visus est. Si cubicula loqui possent, quid non dicerent? Dicerent, vidisse se, quot
ver-

verba, quot suspiria, tot ab inflam-
mato corde prodiisse ignita jacula ad
DEUM, Deiparāmque, & Superos
evidēt. Dicerent, observāsse se,
tantum Cœlestium gaudiorum, sola-
tiorūmque affluxum in ejus animum
redundāsse, ut copiosis sāpē perfu-
sus lacrymis, sui in DEUM amoris
vehementiam liquidissimè contesta-
retur.

Atque ex his fontibus procul du-
bio emanārint tot aliæ virtutes, quæ
in hoc Sodali mirabiliter effulserunt.
Religio, quâ in DEUM ferebatur,
habet aliquid communi laude longè
superius. Preces ille Sacerdotibus
communes cùm singulari ardore quo-
tidie recitāset, etiam lecto affixus,
& non uno morbo prægravatus, ad
scrupulum usque sollicitus repetebat,
nequidquam valetudinem causanti-
bus & medicis, & amicis; adeò ma-
lebat de vitæ momentis sibi quid po-
tiūs decedere, quam de præfixæ pie-

tatis momento , dignissimus utique , qui ob momentum tam anxiè custoditum perpetuam felicitatem possideret.

Nemo illo in celebrando Missæ Sacrificio religiosior , ad quod dicendum etiam æger surgebat . Nemo in iis , quæ ad DEI servitium , animarūm que salutem pertinebant , alacrior . Non afflita tot morbis valetudo , non aëris inclemens poterat impedire , ut non ultimus è sacro tribunali se recipere , qui omnium primus ad excipiendas Confessiones advolasset . Etenim adulterinum censebat illum erga DEUM , & Magnam Virginem amorem , qui non iis totum se impenderet , quos suo ille sanguine , suis ista doloribus redemisset . Cùm autem in expiandis peccatoribus integros frequenter dies , etiam feriales , imò hebdomadas integras collocaret , ac primūm , inclinato in Vesperum die , prandium cum coena sumeret ,

evenit, ut perpetuò innitendo utroque cubitu sacro Tribunali primò tumorem, dein ulcus contraxerit, quod multis annis oportuit emplastris foveari, ac obligari.

Diu, noctuque, charitate vigorem subministrante, claudicantibus licet pedibus, malèque affectis, ægrotantium obibat domos, morientibus ministrabat Pœnitentiæ Sacramentum, &, qua posset arte, dolori solatum afferebat. Nemo tam miserè afflatabatur, ut præstò ocyùs consilium huic ille, opem, operamque non impenderet, non prudens minus, quam efficax Archiater, qui prius corpora curabat, ut animo facilius medetur: non stipem modò pecuniariam egentibus, sed cibum quoquè ægrotantibus aut de industria præparatum, aut suomet ori subtractum liberalissimè dispensabat, imò etiam ipse met propriis manibus efferebat, genuinus enim verò boni, Divinique Pa-

storis æmulus, qui & ipse *transiens*
ministrabat, & sanabat omnes. Illos
 porrò maximè miserabatur, quos pu-
 dor egestatem prodere vetat, utique
 omnium longè miserrimos. Per alien-
 nam ipsis manum liberalissimas sæpe
 eleemosynas mittebat, ut beneficium
 ii grati quidem reciperent, beneficii
 tamen auctorem ignorarent, modestia
 viri liberalitatem occultante.

Nec segniùs operam addixit anima-
 bus in piaculari flamma luentibus,
 quæ eò magis ope indigent aliena,
 quod propria juvandi facultate sint de-
 stitutæ: innumera pro iis Missæ Sa-
 crificia & fecit ipse, & per alios fieri
 curavit, etiam factis hunc in finem
 liberalibus fundationibus.

Et profectò Sodalis hic tam insatia-
 bili Divinæ gloriæ, ac salutis anima-
 rum ubique promovendæ flagravit
 studio, ut verè de se illud usurpare
 potuerit: zelus domûs tuae comedit me.
 Nam huic soli in victimam devovit

se, sua studia, vires, facultates omnes, quas vel in pauperes, vel in Ecclesiis, vel in pia legata distributas uni gloriæ DEI augendæ subservire voluit. Itaque laboribus confectus, jejuniis exhaustus, vigiliis attritus, zelo Divinæ gloriæ consumptus, prece uni DEO intentus, tandem in letulum suum mortualem decidit, in quo, post edita mira patientiæ, pietatisque argumenta, rogatus ab adstante conscientiæ suæ arbitro, quo viginti duobus annis usus erat, & à cuius nutu totus pendebat vir humilimus, an aliquid desideraret? oculis in Cœlum elevatis, ac amènè subridens, reposuit: Cœlum! Cœlum! hisque verbis vix prolatis efflavit animam, quæ procul dubio post mortem & eò evolârit, quod omnia ipsius in vita tendebant vota. Sed qualis, quantusque ibi? Nôsti illud Salvatoris: qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.

Matth. s.v. 19. L 6 ELO-

ELOGIUM XI.

*Prænob. Domini Valerii à Puteo,
vulgo Pozzi.*

ANNO 1721. 25. Februarii, MARIA duce, mortalis vitæ pelagus felicissimè emensus est clarissimus hic Sodalis, qui, licet naturam expleverit vivendo, Sodalitati tamen immaturus obiisse visus est; tantum sui desiderium omnibus reliquit. Fuit Dominus Valerius Philosophiæ, Medicinæ, & Chirurgiæ Doctor, sed à quo præstanti corporum Medico omnes discere poterant, quæ cura habenda animæ. Adeò omnibus Christianis virtutibus ad stuporem usque instructus apparuit. Et profectò vir fuit, in quo nec virtus, quod eliamaret ulteriùs, vel quod morderet, invenisset calumnia; Usque adeò communem probitatis modum egressus est.

sed

Sed qualis, quantusve Sodalis? Videntur Superi hoc clarissimum Congregationis nostrae lumen nobis accendere voluisse, ut in eo Literati Sodales perspicerent, neque studiorum, negotiorumve occupationes, neque statutus dignitatem obstat, quod minus Sodalitatis exercitationibus se se dedere debeant. Cui postquam nomen dedit suum, id in seram usque aetatem enixè studuit, ut nullam ejus officii partem prætermitteret; qui licet virtute, sanguine, ac illustribus Doctoratús insigniis emineret, Marianò famulatu tamen longè nobilior, totus quantus Cœlorum Dominæ non servum modò, sed mancipium se, suaque omnia ita planè transcripserat, ut huic soli laborare, pugnare, vivere post DEUM videretur.

In Religionis exercitiis quanta non in illo pietas, & devotio! Quam eximus non exstitit Sacratissimæ Eucharistiae cultor! Ad illam à pluribus

annis, cùm in urbe degebat, singulis penè octiduis accedebat, plures horas in prævia dispositione, & gratiarum actione impendere solitus ea animi devotione, ut etiam exterius appareret, ac viris etiam Religiosis ædificationi esset, & exemplo. Adorator verò ejusdem Divini Mysterii erat frequentissimus, præcipue quando in Templo Societatis JESU statis per annum diebus cultui in S. Hierotheca solenniter exponebatur; tunc enim jam quartâ matutinâ, etiam rigida hyeme, devotus senex se coram DEO suo sistebat, & immotus fermè usque ad meridiem perdurabat, redibátque ad pristinam suam stationem à prandio, neque inde recedebat, donec Eucharisticus DEUS in tabernaculum reconderetur.

Singulari verò affectu in Beatam Virginem ferebatur; eam verè ut Matrem colebat, ut Dominam venerabatur: nullo non festo ejusdem die,

die, etiam in Ecclesia minùs celebri conscientiam suam expiabat, & Sacra Synaxi se reficiebat, et si tempore æstivo integrâ horâ per viam arduam, & saxis impeditam eundum esset: singularis verò eluxit ejus erga Magnam Matrem amor in accuratissima Legum Marianarum observantia, quam etiam in aliis operâ, consiliô, & maximè exempli promovere omni studio conabatur, & collapsam restituere; neque ulla alia re intimiori animi sensu tangebatur, quam si videret, Cultum Magnæ Patronæ negligentiam Sodaliū, parvaque Congregationis æstimatione, minui; tum enim sancto quodam zelo exardeſcebat senex, vir cæteroquin placidissimus. Præ reliquis admirabilis planè fuit ejus in frequentandis conventibus assiduitas, à multis annis nullo unquam quocunque negotio impediri passus se, quin semper intervenerit ferè primus, etiam in æstivis caloribus; licet viâ arduâ,

duâ, & saxosâ, integrâ horâ pedibus conficienda esset, obstupentibus Vitis etiam gravissimis, qui senem septuagenariò majorem alaci animô, pedeque per viam etiam Junioribus difficultem, non tam incedere, quam propè currere conspexerunt. Unde factum, ut in Urbe, tamquam genuini Clientis Marianî exemplar haberetur: Sodales vero in Præfectum sexies omnino elegerint.

Illud quoquè in eximiam laudem Domini Valerii cedit, quod per multos annos ultrò suscepit munus, infirmos Sodales pauperes visitandi, & arte sua medica, cuius peritiam insignem habebat, juvandi sine ullo lucro. Hoc porrò officium peragebat magna promptitudine, & charitate, ac mira affabilitate, ut ægris, & præsentibus solatio esset.

Tantarum virtutum, ac meritorum præmium consecutus est longè optatissimum, felicissimam nempe justo-

justorum mortem. In Villa sua me-
diō Autumnō nauseâ ciborum labora-
re cœpit; inde in Urbem, & domum
propriam delatus, Præsidem, quō con-
scientiæ suæ arbitro per plures annos
usus fuerat, advocavit: accedentem
his verbis allocutus est: *Pater, in
manus tuas commendō spiritum meum:*
suggerat modum, & rationem, quā
ad ultimum agonem me disponere de-
ceat ut Marianum Sodalem: sanè af-
firmans, quod à Justo Lipsio olim di-
ctum audiērat, se exinde maximo so-
latio in hoc articulo affici, quod Bea-
tæ MARIÆ Cliens, & Sodalitatis
MARIANÆ membrum moreretur.
Idem sæpiùs in longo, & fastidioso
morbo repetiit; quo durante sæpiùs
Conscientiam inter tenerrimos affe-
ctus expiavit, & Sacram Synaxim
afferti sibi voluit, eaque refici, quam-
diu per stomachi fastidientis molestias
licuit.

Ubi sensim vires deficere advertit,
continuò Crucifixi simulacrum, & Be-
atae Virginis effigiem (cui subscriptus
erat devotissimus Lipsii affectus pro
impetrando auxilio in eo articulo, à
quo pendet animæ æterna salus,
quémque frequenter repetebat) pe-
nes se in lectulo ante oculos continuò
habere volebat, quam ori frequen-
ter admovebat, & tenerè osculaba-
tur. Sanctos quoquè Menstruos,
quos à multis annis in unum volumen
collectos in hunc finem venerabun-
dus asservabat, ut moriens haberet
Patronos, quos in vita quotidiana
pietate colebat, ac identidem invo-
cabat, fideliter asserens, se eorum
protectum patrociniō in ultima lucta
non pavere Orci vires, & asilustus;
quin sperare se, eos in egressu animæ
obviām venturos, eumque ad Cœ-
lestem patriam comitaturos. Et cer-
tè mortem non tam expectare avidè,
quam provocare sàpe est visus. Ali-
quando

quando quasi ex profundo somno evi-
gilans, ingenti delibutus solatio ex im-
proviso in hæc verba prorupit : O
quantum gaudium, quanta voluptas
erit suavissimæ Matris aspectu frui !
Suggerenti Præsidi venturam horam,
quâ piis votis damnaretur, reposuit
æger ductō suspiriō ex intimo cordis:
Et quando tandem, mi Pater, quando
adveniet felix illa hora? sicut deside-
rat Cervus ad fontem aquarum, ita
anima mea ad fontem gratiarum. Quæ
demum post aliquot Mensium mole-
stam ægritudinem 25. Februarii, nem-
pe pridie diei Cinerum, illuxit, ut
DEUS felici morte, quemadmodum
quidam, qui acta ejus religiosæ vitæ
observarat curiosius, compensaret
piissimam consuetudinem, quâ tri-
duum illud antecinerale in Templo
perpetuus quasi Eucharistici Numinis
adorator solebat transigere. Atque
ita extinctum est lucidissimum Soda-
litatis nostræ lumen, de quo paucula

hæc ex plurimis annotare libuit, ut constaret, frigescente licet in multis Sodalium Marianæ charitatis fervore, non deesse, qui sancto MARIÆ serviendi zelō ardeant, & Congregatio-
nis Partheniæ dignitatem sustineant.



VARIA ALIA
ELOGIA,
ET
PII OBITUS.

Circa Annum 1640. solutis his mortalitatis vinculis in libertatem filiorum DEI, uti speramus, evolavit Prænobilis Dominus Jobus Job Jurisprudentiæ Doctor, vir summa auctoritate, prudentiâ, animi fortitudine, ac religione in Superos præditus. Etenim Annalium testimoniô confirmatum accepimus, fuisse in
hae

hac absoluta Christiani Jurisconsulti idea , amorem , timorémque DEI summum , vitæ perfectioris initium juxta , ac complementum ; non à peccato duntaxat omni, sed ab ipsa illius umbra abhorrentem conscientiæ teneritudinem ; erga DEI , suāmque Matrem amantissimam affectum prorsus filialem ; charitatem demum proximi ut affectu promptissimam , ita effectu ipso , seu opere , seu consilio liberalem : vir , ut immortali illustrium virtutum encomiō , sic æternā vitā dignissimus.

In tot adversitatibus , præsertim , cùm in afflictissima illa contagiosæ luis , bellorumque Germaniæ tempora inciderit , alterum Jobum fortitudine sua se nobis exhibuit , præsertim ultimo vitæ tempore , quando mors illum aggressa , ac telis morborum acutissimis viscera , medullásque ossium rimata , efficere non potuit , ut ad heroëm animum vel levi cuspipe pene-

penetraret : adeò enim immoto p-
etore atrocissimos quosque ictus ex-
cipiebat , tamquam si alienum cor-
pus , non proprium peteretur : nimi-
rum totus divinæ voluntati , totus
Christi vulneribus immersus , quid
carni fieret , aut curabat perparum,
aut ignorabat . Cessit tandem piæ ad
patiendum pertinaciæ devicta mors ;
dum corpus quidem Athletæ , non
animum dejecit , qui terrenis omni-
bus dudum altior , nunc tandem li-
ber vinculis illuc , uti spes est , avo-
lavit , quò tantò anteà contendit . Ja-
cturæ viri hujus , ut Annales testan-
tur , Congregatio nostra vehementer
indoluit , & universa Civitas adge-
muit . Elatus est eâ pompâ funebri ,
ut par à multis retrò annis visa hic
loci non fuerit . Concionem fune-
brem habuit unus ex Illustrissima , &
Religiosissima Prædicotorum Sancti
Dominici familia , qui ubi fusissimè
viri hujus in Rempublicam merita
lau-

laudibus exultisset, etiam ingeniosè ostendit. Eum talem extitisse re, qualis nomine, nimirum Job fortissimus, Job patientissimus.

Annô 1652. Prænobilis Dominus Christophorus de Hieremii sancṭe obiit: nam & ratio ejus vivendi à multis annis præclarissima, omnibus exemplo fuit, tum ob frequentiam Sacramentorum, tum ob alia præstantissima virtutum specimina. Inter alia pietatis exercitia solitus is erat Patronam suam Virginem statim, iisque sat prolixis precibus venerari summo manè, idem præstare sub meridiem, idem sub vesperum. Felix profectò lingua, in qua quotidie MARIA cum aurora nascitur, cum Sole vivit, & neque cum die emotitur. Correptus fuit repento morbo, vixque aliquot horis decubuit, cùm Confessario ad se vocato indubitatò affirmavit, se sequenti manè futurum fuisse: hinc aliud amplius non egit, quām

quām quæ ad felicem mortem necessaria esse videbantur, obtestatus sæpè, non esse perdendum tempus, quod sciebat breve fore. Nec illum usque ad eò horula sefellit, quā mors fatalem ei punctum fixura esset: quam enim pauxillo antè tempore prædixit, eā & vixit. Paulò antequam animam efflaret, numisma quinque Sanctorum Indulgentiis insigne ori imposuit, idque mordicus ad extremum halitum retinuit. Credo ego, ut ad portum æternitatis delatus, secum haberet, quod Divinæ Justitiæ solveret, numisma censūs.

Anno 1654. 3. Maji funus elatum est Prænobilis Domini Alexandri de Alexandrinis. Quām succinctum hic, tam ponderosum habet elogium, sub quo, quidquid magnum est, comprehenditur. Sodalis fuit per omnia boni Sodalis officia, omnibus numeris absolutissimus, & cui cæteros omnes similes optamus. Prædicatur ve-

rò singulariter in eo insignis quidam
 in Virginem DEIFARAM amor, &,
 quæ inde consequi solet, castimoniae
 diligens, perpetuâque custodia adeò,
 ut hujus amore corpus suum in vita
 semper cælibe servârit incorruptum;
 cuius testimonium est, quòd in le-
 stulo suo mortuali miro efferti gaudio
 visus sit, quòd ab impuritatis scopu-
 lis navim illæsam ad hunc vitæ por-
 tum attulisset. O navem pretiosio-
 rem longè, quàm si utriusque Indiæ
 gazas veheret! Cæterùm vir erat an-
 tiqui moris, ac candoris, modico ipse,
 ac contempto corporis cultu, misé-
 ricordiâ tantùm sumptuosus erat. Cæ-
 libem cùm duxisset vitam, filiorum
 locò illi erant pauperes, in quos suas
 fortunas liberalissimè profudit. Non
 ivisse, sed volâsse ad Superos spera-
 mus: nam sinè appendicibus migra-
 vit, momento ut sisti posset coram
 Agno. Nec tamen omnino sinè pro-
 le in Cœlos abiisse censendus est.

Reliquit post se virtutem, nobilem filiam, & nobis locandam. Cur abnuimus in sponsam assumere? nobilissima est, & superaddet Cœlum dotem.

Annô 1696. 9. Augusti pientissimè obiit Dominus Albertus Maritelli. Erat is ob modestiam, & morum compositionem, gravitatémque, delicium apud omnes, Legum Sodalitatis observantissimus, Sacrae Confessionis, & Communionis frequentatione, nec non Conventuum tum ordinariorum, tum comprecationum in urbe habitarum, exemplum Sodalibus universis. Et ecce, in hoc virtutum curriculo, dum alacer pergit, repentinô morbô prosternitur in ferallem lectum, seu verius theatrum, in quo ejus Marianus amor in ultimam sc̄nam prodiit. Nam tum alia cum adstantibus miscere colloquia non norat, quām de amabilissima sua Matre Virgine MARIA, ad cuius cultum,

hono-

honorem , amorem , omnes incitare
 extremis spiritūs sui reliquiis niteba-
 tur. Protestabatur publicè ; hoc
 summum suum solatium esse , quod ,
 ut Sodalis , & Partheniæ Congrega-
 tionis membrum , moreretur. Nec
 immeritò : cùm enim in omni equi-
 dem vita Sodalitatis Marianæ bona
 existant plurima , tum præcipue , cùm
 è vita abeundum est , magnum emo-
 lumentum , & solatium affert Sodalis
 nomen. Hinc etiam is nîl magis in-
 instantissimis precibus , iisdemque ite-
 ratis petiit , quām Sodaliū precibus
 commendati moriens , & mortuus ab
 iisdem sepeliri , consuetisque suffragiis
 adjuvari. Sed , amabo te ! quid ,
 obsecro , grandis emolumenti seu illo
 in articulo , seu omni in vita sibi pol-
 licebatur iste , aliique , ut tantopere
 present individuam Sodaliū vitæ ,
 mortisque societatem ? Edic , quisquis
 hæc ignoras , quid pro sit niliti , ut
 hosti non solus , sed in exercitu fiat

obviam, non campo patenti, sed ex arce invadatur? Vicissim docebo te, quid emolumenti spondeat virtus in animo, vir, aut adolescens in Sodalitate, hæc sub pallio MARIÆ comprehensa. Quid dubitas? Terræ, Cœlique commoda communia habent; cum DEO Virgo Mater, cum Matre Sodalitas, quisque filius, vel socius cum altero, omnes cum singulari, singuli cum omnibus. Verbō: hoc unum spectant sancti amoris fœdera, ut & muniant invicem, & lucris communibus pretiosa nimis comparetur sedes, & societas beatitatis, etiam illis, qui soli solvendo pares nunquam futuri erant.

Annō 1696. 12. Augusti mortis victima cecidit Prænobilis Dominus Claudius Vigilius Bassettus, qui, sicut Sodalis fuit consummatæ virtutis, ita princeps illi labor eum colendi, qui omni dignus obsequio, satis coli non potest. Orationi cump̄imis addictus,

tempus, quod ei à rei œconomicæ curis vacuum erat, solicite colligens, in Cœlestium rerum commentatione collocabat. Huc consilia, huc actiones dirigebat omnes, perpetuus Temporum ïcola. Erat vir, ut tenerissimæ conscientiæ, sic antiqui candoris. De nemine pejorem in partem judicabat, æstimans de suo cunctos iogenio. Id causæ fuerit, quod se iis cœtibus subduxerit semper, ubi ferrum aliâs in alterius famam expediiri solet frequentiùs, & vulnere non tam facile coituro stringi faciliùs. Cætera pietatis exercitia quod attinet, illud dixisse sufficiat, eum æquè, ac ii, qui inter Monasterii septa conclusi degunt, vixisse in omnibus verè Religiosum, adeò, ut fasti nostri Marianei hoc encomium tribuant: *Fuit totius urbis omnis virtutis, & modestiæ exemplum.* Quô quid præstantius de Sodali dici queat, haud ego sanè dispicio. Porrò DEI Genitricem MA-

RIAM, Augustissimam Patronam suam, omni, quō potuit, studiō de-veneratus est: hujus enim obsequiis dies, noctésque vacare ipsem̄, ejus-dem in aliis cultum promovere non segniter allaborabat, jam conceptis ab Angelo verbis eam millies salutando, jam ejus encomia suis colloquiis dextre, ac piē inferendo, jam cum aliis litaneuticas laudes concinendo. Atque hæc inter Mariana amoris studia vitam posuit, ut laudes Cœli Reginæ æternūm diceret cum Angelis, cuius laudandi finem in vivis non fecerat.

Annō 1712. 1. Martii, militiam suam, ut laboriosam, sic & diuturnam, fine, ut speramus, felicissimo coronavit Plurimūm Rever. & Præ-nobilis Dominus Franciscus Felix Galvagni, plenus dierum senex, & vitâ, & virtutibus explens tempora multa, qui ad seram usque ætatem magnus promotor, & æstimator Congrega-tionis nostræ exstitit, diligentissimus in

in frequentandis Marianis Conventibus omnibus, & aliis functionibus sacris ab eadem institutis, illius Praefectus zelantissimus. Ingenti suo dolore sàpè conquestus est, multos, qui primum pietatis lac in Congregatione hauserant, & sàpissimè promiserant, se Beatam Virginem non derelicturos, desertores factos esse Congregationis, sub prætextu, quòd aliis Confraternitatibus Marianis nomen dederint: quasi verò hæ incompossibles cum nostra sint; cùm unum oporteret facere, & alterum non omittere.

Cæterùm Leges Marianas, quas frequenter volvebat manibus, vitâ, & moribus exprimebat. Studebat autem cum primis vitæ suæ puritatem ad Sacerdotii, quod gerebat, officium, dignitatémque componere: ut multus cum DEO esset, solitudinem, quam verè Oratio amat, in deliciis habere; frequens in Templo,

vel cubiculo cum DEO, cum libris,
secum ipso habitare desiderabat. Hinc
factum, ut otii osor esset acerrimus,
minimas etiam temporis aliâs peritu-
ri particulas studiosè colligens, quas
omnibus commendandâ solertiâ opti-
mè collocabat.

Suffragia pro defunctis, à Maria-
nis Legibus indicta, exactissimè per-
solvebat. Nec à Legibus præscripto
penso succurrere piis Manibus con-
tentus, eleemosynas, preces, aliâ-
que pia bonorum operum adjumenta
non pauca subjunxit, id verissimè so-
litus dictitare: mensurâ sibi non aliâ
quondam in illo piaticis ergastuli sta-
tu emetiendum à vivis, quam eâ,
quam mortuis ipse fuisset emensus.

Tam pio erga defunctos studio
singularem in Virginem charitatem
adjunxit, cui jam à teneris, ut ajunt,
unguiculis mirè devotus, quasi cum
laete suisset Marianum amorem, pa-
ria ætatis, & Parthenii fervoris in-
cre-

crementa sumebat. Ex quo facilè est conjectare , quantus in zelo Divinæ gloriæ , in victoria sui , liberalitate in pauperes , omnique alio genere virtutis existiterit ; cùm ex Magnæ Virginis vero , ac solido amore , velut ex vivo , & perenni fonte , scaturiant omnium ornamenta virtutum . Quibus , ceu pretiosissimis gemmis , cùm vitam distinxerit , dubitare non possumus , quin iisdem mortem quoquè feliciter coronârit .

Kalendis Aprilis anni 1724. non annorum , sed meritorum plenus vitæ mortalis metam transiliit Prænobilis Dominus Joannes Baptista Melchiori , cuius præmaturum funus urbs pñne tota luxit . Pervetus ille , ac nobili ortus familiâ , plures tamen virtutes numeravit , quam ceras . Flouruit in eo tenerima in Superos religio , innocentia Angelica , mira morum suavitas , & compositio , cum ingenio acri , eximia eruditione , aliis-

que naturæ donis conjuncta. Congregationis nostræ uti singulare decus, sic & Patronus fuit, & spes maxima, si Superi maturum Cœlo nobis concessissent. Cum etiamnum in Gymnasio nostro versaretur adolescens, jam tum vivum innocentiae speculum semper erat habitus, scientiis perinde, ac virtutibus illustre. Linguæ, quam nil regitur difficilius, magnam semper ostendit moderationem, de se modestè, & parcè, de aliis honorificè prædicare solitus. Cautissimum erat eo præsente omni oris libertati; palam enim aliorum loquendi intemperantiam castigabat, sermonis minus benè orentis censor, & osor acerimus. In precandi usu quam prolixus erat, quam assiduus! A DEO actionum petebat primordia, nihil unquam aggredi solitus, de quo non prius ad DEUM per Orationem contulisset. In Templo S. Francisci Xaverii Societatis JESU Numinis Eu-

cha-

charistici adorator fuit assiduus, etiam observatus idem orationis studium in seram noctem protraxisse. Misericordiâ erga pauperes fuit rarâ: argumento sit, quod præter copiosas eleemosynas in eos distributas, etiam vestes holosericas sibi detractas, ferratur, iisdem impertiisse. Unde etiam creduntur originem suam traxisse ingentes illæ divitiæ, quibus Prænobilis illa Familia affluit, ab experientia docta, cum fœnore recipi, quidquid in hos Cœlestis ærarii præfectos, in pauperes, inquam, largis manibus erogaret. Nec segnius defunctorum animas adjuvit prodigiosa ejus pietas. Eorum ignibus urebatur pariter, dolorèisque, velut suos, dolebat. Etiamnum adolescens quot Dominicis, ubi menstruæ pro purgantibus animabus Indulgentiæ proponuntur, ab ædibus à Templo sat remotis, summo statim manè ad sacrum Tribunal accurrebat, nec unquam se aut à densis te-

nebris, aut à rigente hiemis inclem-
tia impediri ab his suis charitatis
officiis est passus. In ultimo morbo,
qui illum acutissimis aggressus est do-
loribus, rara eluxit patientia. Ma-
gnum virtutis maximæ argumentum
est, quod vel querulam vocem, vel
gemitum nulla mali pertinacia ex-
presserit: majus adhuc, quod inter
omnis conditionis homines versatus,
nemo de ipso, ipse de nemine con-
questus sit. Supremo agonii admot-
us, ultimis suspiriis non nisi JESUM,
& MARIAM ingeminans, trium-
phum sibi met ipsi gloriosus victor oc-
civit. Iстis triumphum sonat hoc
melos, qui anteà palinodiam vitiis
cecinere.

COROLLARIUM.

A NNO 1636. 13. Martii obiit So-
dalis noster Joannes Baptista
Zechius, juvenis in paucis eximius,

& raris naturæ, gratiæque exornatus dotibus, qui, cùm adhuc tiro per aliquot menses esset, evocato ad lectulum suum mortualem Præsidi exposuit ardentissimum suum desiderium, ut in Congregationem suscepimus mori Sodalis posset; quæ gratia cùm ipsis facta esset, paulò antè agonem, emoriente jam voce consuetum Sodalitatis homagium MARIÆ præstisit, ea animi sui consolatione, eō cordis jubilō, ut etiam signa exteriūs apparerent. Sed unde hæc gaudia? unde hæc solatia? Nōrat prudenterissimus hic juvenis, quanti inter sit & Sodalem esse, & ut Sodalem mori.

P. Sebastianus à Campo Societatis JESU moriens sic locutus fertur: O Filii Adæ! Servite, & amate MARIAM diligenterius; nam nescitis, quām vobis sit necessaria MARIÆ deprecatione. Audite proin omnes apud divinum tribunal rei! Patronam si-

Matrem Judicis habetis, causam perfectam habetis. Et quisnam magis propitiam habebit, quam hujus Matris Servi, & Filii Sodales? Nunquid potest Mater oblivisci filii uteri sui? Id quod felici suo experimento didicit Joannes Baptista à Prato Tridenti natus, Dilingæ mortuus, ex Illustrissima Familia à Prato oriundus, cuius pientissimam mortem cum Congregatio Dilingana scripto communicasset dictæ Familiæ, ea illico eleganti penicillo expressa est, & etiamnum prostat inter ceras, & imagines Majorum memoratæ Domus. Rem totam lubeat ex Fastis Dilinganis descriptam percipere.

Dilingæ molesta quedam lues dysenteriæ convictorum Collegium occupavit. Laborarunt eam adolescentes quinquaginta; inter illos Joannes Baptista à Prato Italus prognatione, stirpe nobilis adolescens, mirificos jam brevi tempore fecerat in virtute pro-

gressus, cùm tentari eadem lue cœpit. *Enim* verò virtus sic locum habuit eluescendi, patientia, modestia, pietas. Nihil eum petere audissem, nullam parentum facere mentionem, nec eos de invaletudine sua fieri velle certiores. Assistebant lectori Germani duo fratres, ubertim afflentes: hos ille siccis oculis ad omnem virtutis studium, præcipuè ad cultum, observantiāmque Divinæ Matris est cohortatus: animadvertisens autem, hisce verbis lacrymas incitari fraternas; dextrâ apprehensis, valete, inquit, fratres dulcissimi, próqueme DEO supplicate. Procul habete fletum, luctum, lamenta. Mortebonorum, id est, innocentium, Cœlitest cùm augentur, tum plures ad DEUM patroni comparantur. Vos igitur fratres mei, ponite mærorem, ac læti estote, equidem lætus, lubénsque supremum nunc vale mundo dico.

Vix unus morbi dies abierat, cùm
quasi præfigus mortis, sacra Mysteria
portari postulavit, & ritè potitus est.
Ac secundùm quietem subitò aliquan-
do exclamavit : O Pater ! quid vidi !
aderat enim Societatis Sacerdos ado-
lescenti à sacrī Confessionibus. Ro-
ganti Patri , quid ergo vidisset ? re-
spondit : tabulam conspexi opere fa-
bricatam elegantissimo , in qua tabu-
la Beata Virgo nomen mihi meum, &
plerorumque Sodalium aureis descri-
ptum literis ostendit, spēmque fecit
certissimam, me post brevem in flam-
ma purgante moram inter Cœlites
receptum iri. Hanc Patronam me-
am , mi Pater , multis stipitatam Vir-
ginibus à me nunc discedentem sequi
est animus. Pertæsum est vitæ pro-
missa beatitate ; æterna me præsto-
lantur. Age verò , subjicit Sacerdos,
si ità se res habet, per ego te Divinæ
Matris amorem rogo, ut , ubi inter
Cœlestes receptus fueris , morbo So-
dales

dales depopulanti finem à DEO impetres. Recepit adolescentis legationem tam necessariam, & abiit vitâ. Mirum dictu! ab ejus excessu mali vis itâ remisit, ut nemo postea sit ab eo tentatus. Etiam illud mirum, quod Medici adolescentis corpusculum intestino pure scatere, ab eoque suffocandum professi, mirati sint oppidò, nihil omnino tetri odoris efflari: quin illicè, postquam efflata est anima, latus quidam, ac floridus vigor faciem omnem cohonestavit, ipso cadavere animæ felicitatem haud obscurè præferente. Digna sanè seculò indoles, nisi Cœlo digniorem in flore adolescentiæ sibi vendicâsset aternitas.

Habes hic, Parthenie Lector! auspiciatissimam adolescentis Tridentini mortem: ex qua an non id ipsum ominari licebit, quod isti in articulo mortis Virgo Mater ostendit, nimirum, si nomen tuum scriptum sit in

Albo Mariano , pariter inscribendum
libro vitæ , & Catalogo Filiorum DEI.
Sic est , non potest malè mori , qui
Marianis didicit Legibus vivere ; nec
potest interire , quem tantæ Patronæ
fiducia fulcit. Diducat sanè rictum
Draco ille magnus , serpens antiquus ,
vibret in morientem venenata spicu-
la ; innoxiae cadent minæ. Hæc mu-
lier caput conteret. Ejus muniti præ-
sidio ad superas arces mille evaserunt
Sodales , evadéntque. Aderit nimi-
rùm MARIA toties sincero corde in
vita invocata ; *ne me deferas in hora
mortis* : aderit in tremenda illa hora ,
quâ nobis cum longa æternitate lu-
ctandum ; illâ horâ , quâ si cecide-
rit lignum ad Austrum , aut Aquilo-
nem , ibi erit *Eccl. 11.* Aderit , in-
quam , MARIA in morte , si in vita
ut Sodales vixerimus. Tunc in fata-
li illo articulo jure Patronam Virgi-
nem in auxilium vocare , & ex Clien-
telæ

telæ pacto ingeminare poterimus: ne
me deseras in hora mortis.

Non utique deseres illum, Sapientissima Virgo, & Amantissima Mater, qui te nunquam deseruit; non destitues illius fiduciam, qui se totum tibi concredidit; non sines illum conjuratis hostibus venire in prædam, qui suam tibi dedicavit vitam. Defendes, quem in tutelam suscepisti; proteges, quem in Clientem assumpsisti; servabis, cui præsidium tuum pro servitute, gratiam pro cultu, præmium pro fidelitate promisisti. Ingemiscant in suprema illa lucta alii, & vociferentur: quid enim faciam, cum surrexerit ad judicandum DEUS? Et cum quæsierit, quid respondeba illi? Jobi 31. Clienti Mariano lætiores in aures illabentur voces: dicite justo; quoniam bene. Eja bene est justo, bene Sodali Parthenio, quando Mater supremi Numinis, cui tota ejus causa est perspecta, Patronæ sibi munus

nus depositit ; Judex idem, & filius,
& sponsus nullas ejus preces repellere
potest.

Conetur infestus Orcus accusatio-
nis capita proferre, testimoniis agere,
acta omnia, & gesta in medium ad-
ducere ; ingenium omne perdendi ex-
haurire ; quid denique adversus Re-
ginam Matrem, quæ Cœli imperium
tenet, obtinebit ? Tonet, tumultue-
tur, fulmina loquatur : Mater miseri-
cordiæ cunctam hanc tempestatem
verbô dissipat. Ejus enim verba sunt
oracula, testimonia indubitata , pre-
ces ratæ , gratia apud Judicem sum-
ma, auctoritas inconcussa. Quot ejus
voces, tot decreta ; quot preces, tot
blanda imperia : quot voluntatis nu-
tus, tot effectus ; quot oculorum con-
jectus , tot expugnaciones Judicis ;
quot patrocinia, tot exoratæ clemen-
tiæ pignora. Quàm bonum est igitur,
ô Sodales Parthenii, MARIÆ in So-
dalitate sua famulari.

C A P U T XII.

Duodecimum Marianæ Co-
ronæ Decus, Illustres Exequiæ,
ac Funeralia.

§. I.

Ordinariæ Exequiæ Sodalibus
à Congregatione habitæ.

Verius habet parœmia: *Mors ultima linea rerum*: omnia funerat, omnia tumulat, sed non charitatem. Sola hæc post funera vivit, charitas, præsertim in defunctos Sodales. Sidera quando nostro in hemisphærio occidunt, exoriuntur in altero. Sic & Congregatio nostra suorum funera non aliter curâsse visa est, ac si ab uno Cœlo ad alterum sumplisset deducenda, horumque cineres, ac exuvias non secus tumulo condidit, ac sibi occidua sidera, gloriostius post-

postmodum in immortalitate ori-
tura.

In quibus quidem ultimæ charita-
tis officiis quam præclara non dedere
specimina nostri Sodales ! Ipso con-
tagiosæ luis tempore Sacrum Viat-
icum ad moribundos deducendum co-
mitabantur ipsi, & fanera suis effere-
bant humeris, raro sanè exemplō.
Annō 1629. 21. Februarii, more iis
temporibus consueto, Sacrum Via-
ticum deportatum est ad Prænobilem
adolescente in Jacobum Saracinum co-
mitantibus DD. Sodalibus cum cereis,
ex quo pietatis obsequio isti non mo-
dicum retulere animæ fructum: nam
æger sub Sodaliū oculis inter tam
magna pietatis, & in DEUM amoris
edita signa obiit, ut omnibus deside-
rium illud injecerit: *moriatur anima
mea morte justorum, & fiant novissima
mea horum similia.* Animo dudum
ad agonem comparatus, ut dæmoni
terribilior esset, Panem Angelorum

man-

manducare sanctè famelicus cupiebat: adfunt ad vota, qui sacram Mensam instruerent. Vix æger è longinquo sonum Sponsi venientis percipit, cùm illicò propter vocem Sponsi exultans, fractasque vires colligens, in lecto se se erigit, & cui obviam ire per morbi vehementiam non licebat, eum quâ summâ posset, reverentiâ, erectis manibus, plûs lacrymis, quâm ore loquens excipit. Subin ingravescentes, eôsque acutissimos corporis dolores ferreâ patientiâ cum Christi è Cruce penduli, & Matris ejus afflictissimæ doloribus in singula prope suspiria communicavit. Paulò antè, quâm emitteret animam, in ejusdem Servatoris, & Parentis Virginis dolorosissimæ oculos fixissimè intorquebat, quorum aspectu ultimo recreatus, simul Crucis simulacrum, ac Patronæ suæ Iconem, & ejusdem Rosarium arcto nexu constringens, ingeminatis JESU, & MARIÆ sanctissimis

mis Nominibus, piissimè mortuus est; ostendens Sodalibus præsentibus, quæ tria sibi charissima fuissent in vita, & quibus pótissimum in morte armis utendum esset. Funus pro more à Congregatione magnificè curatum.

Quam quidem curam funerum efferendorum totô anteactô sæculô in se susceperunt Sodales nostri; quod celebri pompa in pauperum juxtâ, ac divitum exequiis factitatum. Ac nobilissimi quique frequenter certârunt, ut feretrum egenorum humeris efferre possent. Duxerunt autem pompam funebrem, & constituerunt insignito ordine, & multitudine Sodales, præeunte Crucifixi argenteo prægrandi labaro, funeralibus, cæteroque magnifico funebri apparatu instruti, populo non minori plausu, quam admiratione eximiam Sodalium charitatem prosequente.

Quæ quidem funera solenniori pompa deducta, innumeros animarunt, ut

ut certatim eò admitti orarent, ubi mortuorum quoquè honorem celebra-
ti videbant. Et sanè quis est, aut fuit unquam inter, aut circa nos ma-
gnus æstimator Congregationis, qui non saltē in morte Sodalem se ha-
beri percuperet, vel certè posthumis precibus per alios sepulturæ gratiam,
& honorem solicitaret? At quām mul-
ti repulsam, & illud, *nescio vos*, re-
portārunt, illi videlicet, seu qui vi-
tam nullis virtutibus commendan-
dam, vel uno etiam detestabili exem-
plo infectam, duxissent; seu qui lon-
giori muneris sui negligentiâ, aut ab-
sentiâ à Conventibus, & hoc ulti-
mum officium essent demeriti.

Verūm enim verò, qui se dignos præstitissent, minimè contenta fuit So-
dalitas nostra hoc ultimo efferendi fu-
neris obsequio. Sed ulterius progressa
eius charitas, etiam sacris lustricis,
precibúsque piacularibus defunctos ad-
juvit: qua in pietate cæteris palmam

præripuisse videtur Celsissimus, & Reverendissimus Sodalis noster, & Princeps Carolus Emmanuel Madruzius, qui pro animabus purgatorii ultra centum sacrorum millia fieri curavit, cuius defuncti corpus magnifico funere anno 1658. elatum est, sed longè impari pompa, ac illa fuerit, quâ ejus anima, uti speramus, Cœlis illata est, triumphum adornantibus tot milibus animarum è piacularibus flammis ejusdem operâ ereptis, & suo liberatori è supernis suis sedibus obviâ egressis.

Atque hæc à privato: sed quid nomine totius Sodalitatis aëtum? Quam primum ac aliquis è vita abiit, gemino Sacrō pro defuncti anima ad Aram litari curat Congregatio; ejus mortem foederatis Sodalitiis literis indicat, atque è pacto preces pro eo recitari postulat. Tum Psalmus quinquagesimus, & is, qui vitâ functis proprius est, publicè, soluto quovis

con-

conventu, pronuntiatur, ac privatim
jubentur Sodales in defuncti subsi-
dium per integrum hebdomadam, sin-
gulis diebus ter Orationem Domini-
cam, & Salutationem Angelicam,
cum Psalmo De Profundis, & semel Co-
rollam Marianam perlegere, ac in aliis
precibus Defuncti Manes DEO im-
pensè commendare. Præterea sin-
gulis mensibus semel publico in Con-
ventu horariis precibus una omnium
voce recitatis demortuis felix Ævum
apprecatur. Atque ne quemquam
ignota terrarum spatia hac ope indo-
natum cogerent præterire, aut qui-
vis alias securis temporibus se cre-
deret traditum iri oblivioni, univer-
sis defunctis filiis, nec non benefa-
ctoribus diem anniversarium eximia
cum pompa, & pietate quot annis
celebrat jam inde à Congregationis
exordiis adducta consuetudine. Huc
nempe lucra omnia Partheniæ hujus
Societatis referuntur, ut de vitâ fun-

Etis gloriari , & festum agere pos-
sit.

En ! ut porrecto ultra consuetum
mortis terminum mutui amoris , ac
amicitiæ emolumento , ante Cœli
fores præcipuam sibi mutuò præstent
opem Sodales , hostia propitiabili , lu-
stricisque suis suffragiis in id unum in-
tenti , ut demortuis suis æternūm be-
ne sit. In quo an non suspicacem
illum omnium amantium aculeum
tandem animis exemptum vides : tem-
pora cùm fuerint nubila , solus eris.
An non potius , versâ parœmiâ , ha-
bet jam , quod miretur Pompejus : à
pluribus hic occumbentem , quam orien-
tem Solem adorari ? Huic amoris ful-
cro tutò spes posthumæ acclinari pos-
sunt ; postquam totus orbis videt ,
parùm sæpè fidendum hæredibus.

Atque hæc pietatis officia in mutui
amoris , & gratitudinis monumentum
præter cætera Matri officia Congre-
gatio nostra omnibus , & singulis ge-
nui-

nuinis suis filiis emorientibus persolvit. Quod si qui exstitissent, non communibus tantum ornamentis de ea bene meriti, eos Orationibus panegyricis, Poëmatum floribus aspersis, aliisque decretis honoribus, & extraordinariis suffragiis, SS. Sacrificiis, & precibus semper gratissima est prosecuta.

§. II.

Exequiæ à Congregatione habitæ Sodalibus Principibus.

IN Cœlo sidereo non onnes stellas ejusdem esse magnitudinis, ac splendoris apud omnes in comperto est. Reperiuntur & stellæ primæ magnitudinis. Sic etiam in firmamento Mariano ejusdem fulgent sidera, & à natalium splendore, & ab officiorum dignitate, ut mirabiliter effulgentia, sic & primæ magnitudinis. Emicant & zelo animarum, &

luce scientiarum, ac sacris Intulis,
Tiarisque sat conspicua, & fulgentissima Capita, de quibus Daniëlis cap.
12. legimus. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, &*
qui ad justitiam erudiant multos, quasi stella in perpetuas eternitates.

Gratulatur sibi magnopere Congregatio hæc nostra, & plurimum sibi splendoris accessisse semper est arbitrata, quod omnium omnino Principum, & Episcoporum, quotquot totò hōe sacerulō Mariano Tridenti electi fuere, nomina in Mariano suo Albo, velut totidem luminaria magna, fulserint. Hinc Sodalitium nostrum suarum esse partium duxit, ut honorem hunc à Celsissimis hisce Sodalibus in vita sibi exhibitum, post mortem eorum pro modulo suo compensaret, & funera efferret inter colluentes faces adhibito omni sibi possibili apparatu funebri tam in exequiis, quam sacris mortualibus.

Sic nostrâ memoriâ pientissimis Celsissimi & Reverendissimi Principis, & Episcopi Victorii Alberti Manibus parentatum est à Congregatione nostra pompa funebri, quæ institui potuit, in paucis conspicuâ. Nec immeritò; cùm Princeps hic Sodalitii nostri non medò ornementum exstiterit singularissimum, sed & Patronus, & æstimator in paucis eximius. Nam vix ac in Principem, & Episcopum electus erat, in Illustrum vitorum corona edixit, inter primas suas Pastorales curas hanc unam futuram, ut Congregatio Major Literatorum quàm maximè effloresceret, cùm sibi compertum sit, quantum inde emolumenti, præsertim in Clerum, redundet.

Quod testimonium à nobis ex æquo magni semper est habitum, cùm profectum sit à tanto Præsule, cuius vox fuit juge quoddam sapientiæ oraculum; in quem tot, tantaque con-

fluxere virtutum, scientiarumque decora, ut pulchro inter se certamine de primatu contenderent, quem sibi in hoc virtutum, scientiarumque domicilio singulæ asserebant. In quo eluxit ardentissima in Superos religio, erga Matrem ter admirabilem devotione singularissima, zelus animarum, vigilantia super gregem sibi commisum perpetua, rara regendi peritia, in dandis consiliis profunditas, ut hæc non tantum omnium præsentium oculos suo fulgore perstrinxerint, & omnium animos sua magnitudine occuparent, sed etiam exteros Principes in sui admirationem rapuerint. Certè hæc de maximo hoc Viro communis viguit existimatio, fuisse illum in rebus ad boni publici emolumen-tum spectantibus ita vigilanter, ac sedulè versatum, ut Episcopatus Tridentinus ejus prudentiæ, labori, ac studio non parùm se debere etiamnum fateatur. Vir profecto per omnia magna-

gnus, & vel maximo cuique summa cum laude imitandus.

Hujus in Insula Successorem Reverendissimum, & Celsissimum Principem, ac Episcopum Joannem Michaëlem ex Comitibus à Spaur &c. Annō 1725. fatis functum, non minori funebri apparatu extulimus, quem ex Actis Marianis lubet hic apponere. 24. Aprilis circa octavam matutinam utraque Congregatio ad Castrum defuncti Principis se stitit sequenti ordine, & pompa funebri ab omnibus magnopere dilaudata. Præcedebant duo Ductores nigris vestibus, & ejusdem coloris oblongis palliis induti, gestantes scipiones cum scutis Congregationis Majoris. In medio Genius nigrō velō tectus, ac vestibus luctum spirantibus, & scutum manu præfrens, in quo aureis litteris expressum apparebat Sacratissimum nomen JE-SU: tum qui Crucifixi argenteum Simulacrum prætulit, ejusdem latus sti-

pantibus geminis acolythis. His proximi erant viginti quatuor adolescentes, qui è cera Virgine majores faces gestabant, ad ipsum feretrum illuminandum destinati, ac nigris omnes vestibus, præsertim velis, seu peplis è capite defluentibus, tecti, totidem genios, seu umbras repræsentantes.

Hos sequebantur Coetus Angelici Clientes, Corollis omnes Marianis instructi, post quos genius, seu umbra, scuta gentilitia Celsissimi per modum labari in oblonga hasta præfrens, depicta aureo, argenteoque hinc inde immixto colore, comitantibus extroque latere duobus aliis geniis faces gestantibus. Tum reliqui Soda-les Congregationis Minoris immixtis hinc inde quatuor aliis geniis, cum binis quisque comitibus facigeris, qui quatuor genii symbola, seu emblema-ta, præcipuas Defuncti virtutes, ad Gentilitium Leonem alludentes, exhibentia, ritu pariter labarorum præ-tule-

tulerunt. Post hos reliqui Sodales, quorum longissimum agmen clausit utriusque Congregationis Præses.

Pari honoris significatione, & studio, postquam Celsissimi hujus Sodalis corpus tumulo illatum fuit in Templo S. Francisci Xaverii Societatis JESU, piis Manibus parentatum est. Erecto enim à Congregatione nostra magnifico funebri pugmate, omni ex parte facibus, deciduis suis guttis morti Principis illacrymantibus, illustrato, assurgentibus ex utroque latere pyramidibus, quæ & arma Gentilitia, & emblemata sustinebant, à copioso Clero in Defuncti suffragium ad aras litatum est.

Quæ tamen omnia obsequiosissimæ, & devotissimæ voluntatis suæ specimena, ac studia Congregatio nostra censuit longè inferiora Celsissimi hujus Sodalis meritis; tum, quod ter Marianâ Præfecturâ non minore Sodalitii nostri gloria, quam emolumen-

to functus sit ; tum etiam, quod Se-
culum nostrum Marianum, cum pro-
pe nonagenarius, utpote 87. anno-
rum Senex obierit, penè totum Ma-
rianis suis virtutibus illustrârit.

Quam tenero, & incenso in Virgi-
nem Patronam suam Augustissimam
ferretur studio, indicio sit, quod an-
tequam ad Insulam assumeretur, se-
mel ad Thaumaturgam Virginem
Oettinganam in Bavariam, semel ad
Einsidensem in Helvetiam excurre-
rit, & quidem pedes, in socium assum-
pto solo famulo sarcinulam ferente,
quam tamen saepius, ut itineris so-
cium à ferendo onere sublevaret, in
suos transtulit humeros vir humili-
mus, & profundâ sui despicientiâ
prosperus admirabilis. Virtutes suas
omnes humilitate semper texit, quæ
tamen inde tantò apparuerunt illustri-
ores, quod occultiores. Semel cum
intempesta nocte vehementior tem-
pestas torrentem imbrium effudisset,

quæ perrupto tecto in lectum, in quo Princeps decumbebat, plenis rivis distillârunt; hic, ne cubicularii somnum cogerentur abrumpere, malum dissimulavit, licet inde catharrum contraxerit, multis postea diebus per quam molestum. Pariter in exwendis vestibus raro etiam Princeps cubicularii sui operam admisit. Illud certè ab omnibus in hoc Præfule magnopere laudatum: quod inter omnia fortunæ dona piè modestus, inter tot decora egregiè popularis, inter prospera æquè, ac adversa semper suus manserit.

Cùm etiamnum Parochum ageret, ovoidarum suarum commodis eâ se addixerat constantiâ, quam nec labor ullus frangeret, nec dubia valetudo hebetaret. Plerumque sacris Tribunalibus hærebat affixus, licet variis identidem tentaretur morbis; erat nimirum se ipso vegetior, si animarum lucrum ad labores invitaret. Ad

eorum opem accurrebat promptior,
quos cum morbo simul, & paupertate
luctari perceperat. Nihil curam ejus
imminuebat aut egentium squallor,
aut locorum, in quibus degebant,
fœtor haud modicus, ut non promptè,
ac hilariter eos expiaret à no-
xis, sacrum iis divideret Epulum, &
partim consolandis, partim refocillan-
dis pecunias, propriaque è mensa ci-
bos porrigeret. Nempe Matrem il-
lumin, Pastorémque fecerat charitas,
quæ ejus pectori sensus, affectusque
impressit, ut tam corporum, quam
animarum necessitatibus operam, sub-
sidiumque afferret. Magnopere eti-
am sacris Pastoribus auctor erat, ne,
contemptis vilioribus, solùm aurei
velleris oves curarent; Christi po-
tiùs exemplò, qui vitæ Apostolicæ
& norma esset, & proemium, nullo
delectu animas quærerent, non mer-
cedem.

Profectò toto vitæ suæ tempore alienæ calamitati, ut suæ, ingemisceret, pater pauperum, viduarum, pupillorūmque defensor, afflictorum consolator, omnibus omnia. Ejus charitatem quām maximè expertæ sunt animæ lustricis flammis detentæ, in quarum subsidium liberalissimæ elargiebatur eleemosynas. Nec his satiata ejus misericordia, nullo non die statas hunc in finem exsolvebat preces, aliisque pauperes liberali ære conductos in precandi societatem adjungebat. Quin imò pluribus subinsacrificiis adstabat Religiosissimus auditor, & pretiosum, quem sumpserat, sanguinem purgantibus animabus liberalissimè dispensabat.

Abstinentia in illo mirabilis. Vino prorsus abstinuit, nullo in convivione guttulam quidem sumere visus, præterquam in Eucharistico; pariter cibi longè parcissimus: si prandium vel cœna lautiùs instrueretur, semetipsum

ipsum super mensam debellabat , & meliora fercula pauperibus ægris intacta remisit. Hæc pauca hic commemorâsse interim sufficient , plura dabit fusior calamus.

§. III.

Illustres Exequiæ à Congregatione Tridentina celebratæ Sere-nissimo Sodali Monacensi con-fœderato

Hunc solennem Exequiarum honorem Congregatio nostra non solum suis exhibuit Sodalibus Principibus , sed etiam exteris confœderatis. Id quod luculenter patuit, quando anno 1648. fortissima illa Romani Imperii columna Maximilianus I. Bavariæ Dux , & S. R. I. Elector concidit , cuius omnibus bonis luctuosa mors , cum à confœderata Congregatione Monacensi nostræ nuntiata es-set ,

set, ac petita pro more suffragia, statuit hæc solennissimis exequiis pienissimi hujus Principis Manibus parentare. Quare erectum est in Templo sublime, ac magnificum Mausoleum columnis innoxium : suspensa supra Altare picta defuncti Insignia, Pyramidibus emblemata præferentibus, copiosisque candelabris Templum illustrantibus, & ornantibus. Quem funebrem apparatus longè illustriorē reddiderunt suā præsentia præter Celsissimum Principem, ac Illustrissimum, & Reverendissimum Capitulum, tota Urbis nobilitas. Gemini autem sibi præfixisse scopum in sumptuosis his exequiis visa est nostra Congregatio, partim ut Confœderato suo Serenissimo Sodali pro dignitate, & merito justa persolveret, qui ob rara sua erga Congregationes Parthenias merita ab ipso Romano Pontifice in universa Germaniæ Sodalitia Mariana, denominatus erat potesta-

te suprema Præfectorus perpetuus: partim, ut ex proposita in Emblematis, ac Iconismis Marianarum virtutum in tanto Principe reluentium excellentiâ Sodales accenderentur ad imitationem, cùm ejusdem elogium pro more illorum temporum à Congregatione Monacensi nobis communicatum, totum fuerit in Symbolis à Tridentina repræsentatum.

In his cùm artificiosus penicillus, tum ingeniosus calamus omnium oculis, & mentibus spectandam exhibebat hujus Principis in Virginem ardissimam charitatem, qua ille succensus, post dedicatam Sodalitiis Partheniis juventam, ibidemque gestam sæpius Præfecturam, post honoratam suâ præsentiâ Sacram Domum Lauretanam, eandemque pretiosissimis donariis ornatam, post plurima Tempa, aliâque monumenta, tum suis, tum exteris in terris eidem posita, post erectam regiâ munificentia in medi-
tullio

tullio Metropolis Monacensis supra
præaltam columnam marmoream e-
jusdem auratam statuam, post aliquot
centena florēnorū millia amore Vir-
ginis in ejus pervigiliis potissimum in
pauperes profusa, post consecrata sua
studia, facultates, vitam omnem Ma-
rianis obsequiis, à morte sua, ne quid
superfuisse videretur, instrumenta
quoque tanti amoris MARIÆ obtin-
gere voluit: & viscera quidem In-
golstadiensi Basilicæ B. Virginis, cor
Sacello Oettingano cum inscriptione
ab aliis positâ. *Hic conditum est Ma-*
milianī L. cor, maximis olim ausis,
& amore in DEI Matrem plenum; ut
nōrit Viator, Maximilianum post mor-
tem quoque toto corde MARIAM di-
ligere.

Sic pariter celebrabantur ingenio-
sis carminibus, symbolis, ac lemma-
tis cæteræ Serenissimi hujus Sodalis
virtutes omnes. Neque hoc hono-
ris officium sинe omni suo emolumen-
te

to præstítit Congregatio nostra; nam, præterquam, quod illustissimum virtutum Marianarum speculum suorum Sodalium oculis proposuerit, dignissimum, quod intuerentur singuli, imitarentur universi, sperabat insuper futurum, ut ex hoc funebri luctu gaudium, ac solatium enasceretur singulare in suis subditis, dum oculis perspicerent, in quam illustrium Sodalium Societatem adlecti essent; in quantorum meritorum communio-
nem admissi, si usque ad finem Marianum stadium decurrere perleverarent.

Et sanè hæc communio bonorum operum, quæ tot generis, atque dignitatis, scientiarumque splendore clari, aut virtute illustriores Sodales omni tempore ubivis gentium edidere, causa princeps apud non paucos fuit, ut etiam primi in Ecclesiastico æquè, ac seculari foro Viri nomen suum Sodalium Albo inscribi curârint locu-

locupletes se credentes, ac beatos tot
precum, meritorūmque communio-
ne. Quod quidem spirituale emo-
lumentum quàm amplum sit, inde
facilè colliges, si perpenderis, quàm
latè per orbem diffusa, quantóque nu-
mero aucta sint Sodalitia: quorum
numerum promptè poterit quivis
conjicere, si locorum, quæ Societas
JESU colenda suscepit ubivis genti-
um, multitudinem ante oculos sibi
ponat. Nam, quocunque pedem in-
tulit, secuta est è vestigio una aliqua
Sodalitas; sed quid dico, una? In
plerisque binæ, ternæ, quaternæ, &
amplius effloruere; adeò ut hodie
numerus in toto, quà latè patet, or-
be ad mille, & propè nongentas, so-
lùm cum Romana primaria confœ-
deratas, teste P. Prola, ascendat.

In his autem Sodalitiis quot non
eminēt pietate, ac vitæ sanctitate
conspicui Sodales! quorum omnium
præclarissima facinora, ac bona ope-

ra enucleare , & particularibus illustrare exemplis , idem utique foret , ac in Cœlo stellas numerare velle . Nam & hic verissimum illud Genesis 15. Vaticinium : *suspice Cœlum , & numera stellas , si potes : sic erit semen tuum.* In tot proin meritorum Societatem , & honorum operum communionem adsciscitur quivis Sodalis . Quæ res olim Carolum Calomam illustri prosapia in Hispania ortum ita permoverat , ut vel hoc ex capite Parthenias Congregationes semper summi fecerit . Hic cùm Perpiniani præsideret præsidio militari , etiam electus est , ut præsideret in Præfecti munere Congregationi ; cùm esset vivum Marianarum legum speculum . Non nemo osor omnis boni , nescio , quibus impulsus causis , coram eo hæc verba protulerat : si ego essem Rex Hispaniarum , te ad longè altiorum eveharem dignitatem , adjecto decem millium Scutatorum auri salario ; sed ea

ea conditione, ut Congregationi renuntiares. Cui alter longè sapientior reposuit: & ego hoc cum pacto acceptarem Scutatorum ne quidem virginis millia. Adeò censuit hunc meritorum, honorumque operum thesaurum nullo pretio æstimabilem!

§. IV.

Singularis honor à Congregatione Tridentina exhibitus Prænob. & Excell. D. Hippolyto Guarino, confæderato suo Sodali.

Habet, quod sibi jure gratuletur Civitas Tridentina, quod in lucem ediderit Prænobilem, & Excell. D. Hippolytum Guarinonium, virum ob prudentiam, virtutem, & eruditionem Urbi, & orbi notum. Hujus mors Halæ obita, cum nobis à confœderata illa Congregatione, cuius

lus Sodalis fuit, humanissimis literis,
quibus insertum erat virti **elogium**,
nuntiata esset, ita omnes in admirationem
rapuit, ut, justis Defuncto
pro more persolutis, petierit à Præsi-
de Marianus Magistratus loco exhortationis sibi **elogium** prælegi, iteratō
describi, & etiam absentibus Sodali-
bus communicari. Hinc placuit &
hic illud ad posterorum memoriam,
solatiūmque, cūm Tridentinus fue-
rit, attexere, desumptum ex iisdem
litteris Halensibus, quæ ita habent.

E castris nostris Marianis statione
decessit die 31. Maii anno 1657. Ve-
teranus miles, Nobil. & Clarissimus
D. Hippolytus Guarinonius, Medici-
nae Doctor, & à Ferdinando II. san-
ctissimæ memoriae Imperatore, Ar-
chiatri sui titulō donatus. Cujus vi-
ri eximias virtutes, integerimam
vitam, morēsque spectatissimos, cūm
hujus chartulæ brevitas non capiat,
placuit tam gloriosum campum in
quem-

quemdam compendii manipulum redigere.

Natus Tridenti è clara Mediolanensis Medicorum familia, & post decursa magno profectu studia (quod plures ab eo in publicam dati libri testantur) supremis Medici doctoratūs insignibus ornatus est in Italia, decenniō circiter ante hujus saeculi initium. Suam in Cœtu Mariano, jam ab adolescentia probatissimam pietatem in ætate postea maturiore præclarè continuavit, & auxit. Nam, præterquam, quod Leges Sodalitatis Parthenias sanctissimè servavit, ejusque estimationem virtutum suarum luce non mediocriter illustravit in hac urbe per annos 54. tanti fecit Sacramentorum assiduam frequentationem, ut maledicorum acerbiores sarcasmi, quibus laudabilissimam frequentiam perstringebant, calcar addiderint Hippolyto ad tenorem hunc multò magis retinendum ; quo demum evicit,

cit, ut in Societatem tam sanctam
quam plurimos attraheret. In reli-
quis quoque observandis legibus, sicut,
ipse fuit exactissimus, sic ad rigorem
eundem in aliis quoque plantandum,
piò quoddam zelò semper se præbuit
ferventissimum: ut proinde ob multa
salubriter imposterum statuta pluri-
mum illi Congregatio nostra debeat.

Quod de S. Hilario Ecclesiastica
testatur historia, eum in matrimonio
quasi Monachi vitam egisse, id de
nostro Hippolyto haud falsò asseve-
rare possumus. Magnos jejuniorum
dies non tantum usque ad 83. ætatis
annum, summa religione observavit,
sed & totam vitam suam penè Quadra-
gesimam esse voluit *Guarinonius*, eru-
ditionis, & abstinentiae decus, quò il-
lum elogiò pridem proposuit orbi Re-
ligiosus Drexelius. Frequentissimus
in orandi studio, erga Christum pa-
tientem tenerimè afficiebatur, cuius
personam die Parasceves aliquoties

in nostra Congregatione, magno pietatis sensu, egregiè sustinuit. Beatae Virginis Officium majus, aliásque sacras preces recitabat planè quotidianus, vix unquam sinè precatoriis globulis etiam inter manualia visus.

Post DEUM, & SS. Virginem, Cœlitum cultui addictissimus fuit, & in his dies natales S. Caroli Borromæi (cui sacras ædes venustate decoras, & tripartitâ formâ SS. Triadem referente conspicuas à fundamētis, & ipse murarii, & architecti munere, & operâ functus, ad culmen perduxit) S. Franciscæ Romanæ, Sanctorum Ignatii, & Xaverii, nec non Venerandi P. Canisii, quot annis cum omni domo sua feriatos, celebrésque habuit. Et in eos amoris tam sanctè impensi pretium retulisse visus est; dum enim Urbs gravi pestilentia conflictaretur, Hippolytus noster, omni alio alexipharmacō rejecto, manicatus ex piæ memoriarē

Canisii vestibus, diro se hosti oppo-
suit, & semper inter præsentia pericu-
la stetit in columis.

Ea fuit comitate, ut neque media-
stini servuli, nedum alieni, asperius
ab eo verbum retulerint. Eo in res
Divinas studio ferebatur, ut alia lo-
quentes, quām quæ Cœlum saperent,
mirabili dexteritate ad sermocinatio-
nes pias traduceret. Eo animarum
zelo æstuabat, ut, relictis urbicis an-
gustiis, se se per amplos campos, &
vastos montes explicaret, ubi tene-
riorem ætatem sæpè sæpiùs S. Cate-
chesi instruxit non sinè lautis munu-
sculis; quibus auditores quām plu-
rimos venatus est, doctiore turba di-
missa. Inter has, & alias plurimas
virtutum elegantias chorum duxit
prodigiosa in viro, & prorsus singu-
laris animi demissio, qua se, suaque
aliis probatissima facta unicè despe-
xit, cæterorum omnia suspexit. Erga
Religious, & Clerum universum mi-
re

rè reverens, inter piacula habuit, prima non concedere, nec illos adversus ora maledicorum semper ex animo defendere. Accidit sæpiùs, Medicum nostrum inter operas, quibuscum plurima Templa architectatus est, egregiè sudantem, & succinctiori superbum à variis reperiri, quos benevolentissimè amplexus, & modestissimè salvere jussos, plus opificio habitu, & egregio sui contemptu, bonus senex ædificavit, quàm si Salomonæis ædificiis operam locâisset. De rara ejus sensuum custodia quid memorem? Ex ungue leone in habetis. Annulô suô, non achatem, non adamantem, sed gemmam gemmâ pretiosiorem, Christi videlicet effigiem inclusit, quod digitale illicium itâ deperiit Guarinonii oculus, ut ad alias formas, spectacula, planè cæcus videretur. Taceo occultiora animi decora, admirandam in adversis tolerantiam, exactissimam cum DEI

nutu conventionem , impensam de-
nique curam , se , suásque actiones
non modò hominibus , sed ante om-
nia DEO , quàm posset optimè , cu-
mulatissimèque probandi . Et verò
probâsse acta , consummatáque vita
nobis meritò pollicetur , præsertim ,
cùm ipso SS. Triadis festivo die , cui
addictissimus fuit , non tam expirâ-
rit , quàm inter pia suspiria in Domi-
no sua vissimè obdormiérat . Tumulo
illatus , dum SS. Virgines , & Marty-
res Vincentia , & Lea (quarum SS.
Corpora ante aliquot annos Româ
Regio Parthenoni attulit) in Regia-
rum Virginum Ecclesia solennissimo
ritu celebrarentur . Cujus animam ,
quamquam (ut meritò confidimus)
Cœlo jam receptam , nihilominus ex
more Sodalitatis nostræ , cuius ipse
summam Præfecturam frequentissimè
gerens , & hæc omnia promeruit ,
Dominationum quoque Vestrarum
precibus , suffragiisque pro mutuo in-
ter

ter nos fœdere submissè commenda-
mus, paria reposituri. Halæ 8. Junii
1654. Hoc elogium Commentariis no-
stris insertum Congregatio Tridentina
sæpiùs per seculi decursum suis præle-
gi voluit, & ante oculos ponit. Nec im-
meritò : nunquam spectatur virtus
nisi cum fructu ; sicut nec sol aspici-
tur, quin illuminet, nec ignis aditur,
quoniam calefaciat. Muta quidem, ef-
ficacissima tamen concio est sancti-
tas.

§. V.

De Dominis Præfectis Soda- libus à tempore primæ suæ ere- ctionis.

COronatus felici fine seculi nostri
Mariani decursus equidem nos
moneret, ut debitum pietatis, & gra-
titudinis vestigal penderemus, & elo-
gia singulis concinnaremus, quos sin-
gulis annis in caput sibi constituit

Congregatio nostra, ac quos non tam mors, quam matura virtus Cœlo demessuit, iis jam mortuis parentaremus, conscribendo scilicet eorum exempla virtutum, qui dum viverent, vivum virtutis odorem omnibus inspirare, mortui verò amplam optimorum exemplorum hæreditatem relinquere visi sunt illis, quos Marianus amor fratres effecit. Verùm ut ut obsequiosa voluntas non d' esset, votis tamen nostris in præsentiarum obsecundare, & temporis angustiæ, & exemplorum multitudo neutiquam permittunt. Hinc loco omnis elegii sit, dixisse, quod fuerint Congregationis Præfecti: id est, eminens vitæ norma, vivum Marianarum Legum speculum, spirans quædam omnigenæ virtutis imago. Certè ea fuit defunctorum, de quibus tantum hic sermo est, conditio & virtus, ut propter eximia pietatis decora, propter insignes

signes Mariani servoris notas, propter illustriſſima ſanctioris vitæ exempla, quibus ad immortalem ſui nominis gloriam efflouerunt, ad Beatorum evolâſſe triumphos, nemini dubium fit: ideò non cenſeo, eos admodūm noſtris laudibus, gratulationibūſque indigere in terris, quos in Cœlis non injuriā credimus, perpetuis gratulationibus, festivis vocibus, & laudibus ab omnibus proſequendos.

In lucem quidem produximus in decurſu hujus opusculi aliquorum præclara facinora, virtutūmque decora, ſed longè infra meritum. Quare ſi nos breviores eſſe cogimur in laudando, quam Defunctorum merita poſcunt, id ſolūm adhuc recreat nos, quod fore ſperemus, ut tantò prolixior ſit in p̄coemiando bonorum omnium inſpector, & remunerator DEUS, quantò tenuiorem aliàs debitæ laudis mercedem à vivis mortui tulerant. Quorum quidem Nomina vel ideò hic ta-

cemus; quia beatæ æternitatis Catalogo jam inserta confidimus; & ipsi heroica sua facinora, ac Virtutes in cælestes hæredes adoptati, Posteris suis veluti pium, ac locuples legatum reliquerunt. Faxint Superi, ut, quām acres ipsi vindices fuere conservandi honoris Mariani, tam seduli simus nos jam conservati Tutores exempli, hicque ardor vegetus semper, alacrisque perduret, certissimus utpote felicitatis non in annum sæcularem, quem novum ingredimur, sed in orne tempus redundaturæ prodromus. Sive enim ætatem ad ultima usque novi sæculi Mariani confinia proferre libuerit Numini, nullam illius partem suis immunem esse favoribus patietur prolixi suos in Clientes affectus Mater: sive brevioribus definire terminis hoc, quod vitæ est, tenue spatiū placuerit, impendet illa curas huc omnes, ne quā ingruentes curæ animam cum tota æternitate luctantem divexent acerbius.

Cœte-

Cœterum iis DD. Præfectis, qui, etiamnum in vivis superstites sunt, & posteriora Mariani nostri sæculi tempora rarō suō zelō, eximiis virtutibus, præclarissimis vitæ exemplis, Parthenii nostri Cœtūs dignitatem landabiliſſimè sustinuerunt, & gloriam ampliſſimè promoverunt, in hoc opusculo nullum promeritæ laudis tributum exsolvimus; cùm eorum exempla longè illustriūs in omnium oculos incurvant. Illud solūm precamur ex animo, ut Augustissima Patrona nostra, quemadmodum isti ceu Clientes, & filii eam singulari semper amore, & veneratione prosecuti sunt, ità se Matrem exhibeat amabilem, & Patronam beneficam ac potentem, iisque longissimam ætatem à Divinissimo suo Filio exoret, ut pergere possint novum hoc Marianum sæculum totum virtutum suarum splendoribus illustrare in maximum Congregationis nostre emolumentum, & incremen-

tum : plus enim habent ad incitamentum momenti eorum exempla , quæ oculis etiamnum usurpamus , quam quæ auribus accipimus ; & ipse splendor , quo grandes in virtute animi suas exornare solent familias , nescio quid venustius florenti è facie , quam verminanti è corpore profluit .



PARÆNESIS AD MARIANOS SODALES.

SUMUS NUNC , tamquam ab emensa profectione longa , stantes in littore , & navigationem novam sæcularem in dies auspicaturi ; aut in stadio iter , quod eluctati sumus , respicientes , conferentesque cum reliquo , quod cum aliis conjecturi . Cœlitates spectant , num cum Antecessoribus

bus progressi teneamus semitam, quâ illi nos anteiverunt ad laureas immortales. Spectant viventes, num cum ipsis in perfectius vitæ Christianæ genus decurramus pari cum laude, quâ evocârunt prævii primipili. Spectant & inferi, ringunturque, si paucitati pristinæ major multitudo consequens non cedat in æmulatione charismatum meliorum.

Nostrî Antesignani in hac sua navigatione irretortis oculis semper respiciebant ad illam propitia sibi luce fulgentem cynosuram, ad beneficam illam stellam Marianam, quæ supra spatiolum mundi hujus mare sublevata, relucet meritis, gratiisque resulget, MARIA nimurum stella maris est, omni stellarum splendore fulgentior, quæ devotos sibi Clientes per mare hujus saeculi, tot infame naufragiis, tot scopolis infestum servat incolumes, & recto tramite ad vitæ melioris portum ducit. Felices

proin, & nos posteri! Si pro Duce
vitæ, & viæ nostræ auspicatissimam
hanc stellam nobis proponamus, ejus-
que ductum secuti, contemptis Sire-
num blanditiis, enavigemus, ac ad
Sideris hujus fortunatissimos radios re-
spicientes, ut inde vivendi sumamus
exempla, & siderum instar Augustissi-
mam nostram stellam coronemus.

Scio equidem, fortissimi illius Her-
culis Poëtico figmento post mortem
in stellam conversi, cui nostros So-
dales superiùs comparavimus, post
præclara omnia in terris gesta, ubi
ad mare Gaditanum delatus est, vi-
ctoriarum cursum suisse interruptum,
dum erectæ ad ejus litora geminæ
columnæ, suum illud inscripsit, *non*
plus ultra. Quo indicare voluit, me-
tam laborum, & laudum à nullo alio
attungi posse. Verùm attigit, & suum
per ingentia terrarum, mariūmque
spatia usque in Indiam Orientalem,
& Occidentalem extendit: unde illius
verba: *plus ultra*. Hunc,

Hunc, velim, imitemur: *Plus ultra* progrediendum est, & à *seculo usque in seculum* Marianæ gloriæ proferendum est studium. Hoc stadium, dum vita currit, percurrendum est: In hac Parthenia palæstra cum nobis met ipsis, MARIA Duce, semper luctandum est: perennem illam, carnem inter & spiritum, litem mors sola dirimat: illa finem statuat præliis, quæ initium triumphis. Perseverantia omnium virtutum corona, & consummatio est. Inchoantibus prœmium promittitur, sed datur perseverantibus. Pugnemus proin fortiter in Parthenio hoc campo, memores, nos milites esse Marianos, & illius sub auspiciis mereri, quæ jam se sola terribilis ut *castrorum acies ordinata*, hostis Orcini caput antea vetrici planta contrivit, quam nos eisdem debellando vel pedem conferremus: genuina protectio Imperatrix, quæ stipendiariis suis ita bellum imperat,

rat, ut, assistrice gratia, & vites ad pugniam acuat, & gloriissimô exemplô vincendi Methodum ostendar, dum, ut olim DEUS Prophetæ Regii, ità vestros ista digitos ad bellum, & manus ad prælium docet.

Pergamus igitur strenuè & MARIÆ vivere, & MARIÆ pugnare: nec antea bello absistamus, quâm gloriosâ victoriâ potiti, canos quidem in tumulum, palmas verò in Cœlum deferamus: hac enim in pugna sibi palmas, & lauros metunt vîctores, quâ metuntur: lauros, inquam, sibi metunt, illas scilicet, ad quas videtur allusisse Poëta, dum cecinit:

*Gestiens quisquis pepulit quietô
Gaudium, & duros animô dolores,
Spes anhelantes, pavidumque vicit
Corde timorem;*

*Solus hic Lauri meruit coronam,
Purpuram solus placide triumphans:
Proximam sedem cui dat beato
Vera voluptas.*

Laureæ hæ Corollæ gloriosos Marianorum Argonautarum vertices olim exambient, nulli unquam tredini, nulli marcori, nulli morti obnoxiae. Cœterarum sanè coronarum decora, quibus triumphatores suos vel ornavit Græcia, vel oneravit Italia, aut tinea absumpsit, aut blatta corrosit, aut tempus exedit: Corona vitæ in corruptionem non cadit, non patitur pulveres, defectionem nescit; juxta illud Ovidii:

*Utque viret semper Laurus, nec
fronde caduca*

*Carpitur, aeternum sic habet illa
decus.*

Omnia ad Majorem DEI,
Deciparæque honorem, & gloriam,
ac Sodalitatis nostræ Incrementum.

PROTESTATIO A U C T O R I S.

EA, quæ in hoc Libro per decursum de Sanctitate Sodalium , de prodigiosis factis, & eventibus narrata fuerunt , non hoc consilio allata censeri oportebit , tamquam fide certa esse velimus ; sed humanâ tantummodo notitiâ , & authoritate niti intelligentur, prout in similibus prænotari voluit Decretum ab Urbano VIII. conditum anno 1625. 13. Martii.



INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Primum Partheniæ Coronæ Si-
dus, Marianæ gloriæ zelus, &
& amor. fol. 1

CAPUT II.

Alterum Coronæ Partheniæ decus;
ardens Formulae Marianæ reno-
vatio. fol. 16

CA-

C A P U T III.

Tertium Partheniæ Coronæ orna-
mentum, Frequentia Mariano-
rum Conventuum. fol. 30

C A P U T IV.

Quartum Marianæ Coronæ Decus,
Humilitas. fol. 44

C A P U T V.

Quintum Marianæ Coronæ Sidus,
Charitas Proximi. fol. 57

C A P U T VI.

Sexta Marianæ Corona Stella, Ca-
stitas. fol. 70

CA-

CAPUT VII.

Septimum Marianæ Coronæ Sidus,
Oratio. fol. 180

CAPUT VIII.

Octavum Marianæ Coronæ Sidus,
Meditatio. fol. 194

CAPUT IX.

Nonum Marianæ Coronæ Decus,
Fortitudo animi. fol. 114

§. I.

Animi Fortitudo in elidendis vicio-
rum fibris. fol. 115

§. II.

§ II.

*Fortitudo animi in edomando corpore
mortificationis studiō.* fol. 125

§. III.

Fortitudo animi in edomanda ira.
fol. 137

C A P U T X.

*Decimum Partheniae Coronæ Decus,
Fortitudo animi in adversis æquè,
ac prosperis.* fol. 147

§. I.

Fortitudo in adversis. fol. 147

§. II.

Fortitudo animi in prosperis.
fol. 164
CA-

CAPUT XI.

Undecimum Marianæ Coronæ orna-
mentum , pia Sodalium Tridenti-
norum Mors. fol. 173

CAPUT XII.

Duodecimum Marianæ Coronæ De-
cus , Illustres exequiæ , ac fu-
neralia. fol. 285

§. I.

Ordinariæ Exequiæ Sodalibus à
Congregatione habitæ. fol. 285

§. II.

Exequiæ à Congregatione habitæ
Sodalibus Principibus. fol. 393

§. III.

§. III.

Illustres Exequiae à Congregatione Tridentina celebratæ Serenissimo Sodali Monacensi confæderato.

fol. 304

§. IV.

Singularis honor à Congregatione Tridentina exhibitus Prænob. & Excell. Domino Hippolyto Guarinonio confæderato suo Sodali.

fol. 311

§. V.

De Dominis Præfectis Sodalitatis à tempore primæ suæ electionis.

fol. 319

Parænesis ad Sodales Marianos.

fol. 324

THESES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA.

I. Logica seu scientia ratiocinandi, non nisi secundum quid speculativa. II. Habet pro objecto materiali tres mentis operationes ut sic, Pro formali proprietates earum. III. Demonstrat adeoque terminorum, Propositionis, & Ratiocinationis affectiones. IV. Propositioni non inest adaequata veritas, vel falsitas. V. Nec vera semel potest transire in falsam, & viceversa. VI. De futuro Contingenti est determinatae vera, vel falsa. VII. Non solae præmissæ evidentes necessitant ad exercitium Conclusionis intellectum. VIII. Qui potest idem scire simul, credere, & opinari. XI. In Corpore Physico dantur accidentia materialia absoluta. X. Hinc ejus Principia non sunt Atomi, vel tria elementa Cartesii. XI. Sed materia, & forma substantialis Peripatetica. XII. Quorum Unio est mera relatio, non entitas superaddita. XIII. Et à quibus simul sumptis rotum non distinguitur realiter. XIV. Materia est aequaliter indifferens ad omnes formas. XV. Nec Divinitus potest esse sine omni, vel cum duplice forma totali materiali. XVI. Sed nec forma substantialis materialis potest esse absque materia. XVII. Causa Principalis efficiens substantię est ipsa substantia. XVIII. Accidens ad intra, substantia; ad extra Accidentia. XIX. Prædeterminatio in Causis liberis implicat, in necessariis est superflua. XX. Duplex actio totalis respectu ejusdem effectus possibilis est. XXI. Etiam actio in distans supernaturaliter. XXII. Causa replicata non potest plus quam non replicata. XXIII. Repugnat omne infinitum Categorematicum. XXIV. Item Creatura perfectissima, & ab æterno existens. XXV. Continuum componitur ex punctis formaliter indivisibilibus finiti-

tis, Virtualiter tamen divisibilibus in infinitum. XXVI.
Systema mundi Tychonicum præferendum est Coperni-
cano. XXVII. Quod in Physica, nec quidem per mo-
dum hypothesis potest sustineri, XXXVIII. Astra mo-
ventur tantum ab intrinseco. XXIX. Cœli non sunt
solidi, sed fluidi. XXX. Sol est formaliter igneus,
XXXI. Eclipsatur ab Umbra Lunæ, luna verò ab
umbra non terræ, sed Atmosphæræ. XXXII. Lux
& color permanens sunt diversæ qualitates absolutæ.
XXXIII. Intensio sit per additionem graduum homo-
geneorum. XXXIV. Rarefactione per dilatationem poro-
rum, & intromissionem insensibilium corpusculorum.
XXXV. Elementa non manent formaliter in mixtis
perfectis. XXXVI. Sunt omnia absolute gravia, &
gravitant etiam in loco proprio. XXXVII. Non da-
tur quies in punto reflexionis, XXXVIII. Motus
gravium (horrori vacui assignari solitus) est ab Ela-
terio, & gravitate aëris. XXXIX. Effectus magneti-
ci, Sympathici, & antipathici sunt à profluyiis substancialibus. XL. In viventibus corporeis dantur formæ
partiales substanciales. XLI. Non tamen successivæ,
vel simul plures animæ, XLII. Plantæ omnes ex se-
minibus, infecta ex ovis sœcundatis nascuntur. XLIII.
Bruta verè ac propriè vivunt; hinc non sunt meræ
automata. XLIV. Ens reale præscindit à differentiis,
& vicissim. XLV. Habet possibilitatem intrinsecam
& Universalitatem à parte rei. XLVI. Essentiam, &
Existentiā ab individuatione rerum indistingas, XLVII.
Subsistētia superaddit meram negationem Unionis
perfectivæ. XLVIII. Distinctio consistit in cujuslibet
rei entitate. XLIX. Repugnat ex natura rei & For-
malis intrinseca. L. DEUS essentialiter connectitur
cum possibiliitate creaturarum, & ejus existentia ra-
tione naturali demonstrabilis est à posteriori, cui ce-
dant.





at a E
us in eti



